BREVIS ET PLANA SACRATISSIMAE MISSAE ELVCIDATIO. PER D. MATTHIAM KRETZ. M. D. XXXV.

IN SANCTISSIMI SACRIFICII Missæ ac libelli sequentis laudem, Christophori Baronis a Suartzenberg, Præsidis Bauarici Decasticon.

Illusit nuper Luderus mystica MISSAE
Illudunt alij (pròdolor) & lacerant.
Sperantes Chrysum, Christi libamina tollunt.
Sic scelus haud cœlum, quæritis ô miseri,
Cernite Germani qui sint hæc vana docentes,
Ad nutum varij. Ast hostia nostra manet
Viderat hoc Daniel, sanctus Dionysius olim
Auditor Pauli, sacrificans docuit.
Credimus his iunctis, doctus quæ scripserat ille
Mathias noster Kretz, sacer atq; pius.

Domino Henrico Abbati
in Tegernse pro nouo
Anno a f. Vnolf. Seydl
dono datus.

Sexto decembr. 35.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET Domino, D. Alberto, Comiti Palatino, ac utriusq; Bauariæ duci, Domino suo clementissimo. Christophorus Baro a Suartzenberg, salutem & perpetuam fœlicitatem exoptat.

ILlustrissime ac præclarissime indolis princeps, Christus seruator noster dixit. Non posse arborem bonam fructum malum ferre. Quod in te uerissimum esse quis non uidet? Alberte dux amplissime, qui desyderatissimus & longe optimus es fructus, arboris (inquam) Christianorum Imperatorum, regum ac principum, quorum quamplurimi non solum inter mortales terreni imperij insignia gesserũt, uerum etiam nunc im̃ortales æterni regni obtinent diademata. Quidq; tibi genitor est inter principes Christianissimus, & inter Christianos illustrissimus princeps Guilhelmus, qui cum uero patruo tuo (nam pater alter tibi est) fratre suo pijssimo duce Ludouico: ambo domini mei clementissimi, non modo Bauariam suam, his periculosissimis temporibus, ab omni hæretica labe & contagione, diuino & consilio & auxilio, pacificam atq; illęsam retinuere, sed etiam toti Germaniæ exemplum, adeoq; bonis omnibus ansam, adhęrendi catholicæ ecclesiæ, aspernandiq; & propulsandi hæretica, præbuere. Hæc ipsa facta docent, cultus diuinus, sacrarum ædium structuræ, monstrant: Hæc palam facit inprimis pia adoratio, & obseruatiũ hucusq; constanter & religiose sacratissimũ missæ sa

crificiũ,a diuo Dionysio Areopagita (cuius in Actis apostolorum mentio fit)synaxis,& secundum gloriosum magistrũ suum(ut uerbis ipsius utar,quibus Paulum innuit)hostia hostiarum appellatum:cui equidem ut unicæ & apud cœlestem patrẽ acceptissimæ oblationi,imitatores ecclesiæ catholicæ syncero affectu adesse gaudent,probãtq;,aduersarij uero uetãt & culpant.Vtinam quæ culpanda sciunt,etiam uitarẽt Præterea quẽadmodũ filij iuniores,parentũ mores, & eaq̃ a parentib.fieri perspiciũt,si nõ penitus,at saltẽ per repræsentationem æmulari studẽt(id quod in pueris baculo equorum loco insidentibus cernere est) sictu principalis puer annis minor,moribus maior et grauior,parentes carnis,sic matrem,quæ sola Christi filios facit,ecclesiam(dico)catholicam,imitari cõtendis:uacuis enim horis,dum cæteri coetanei tui,puerilia puerĩliter agunt, tu ijs rebus,quę diuinis cæremonijs & operationibus similimæ sunt,oblectaris.

Lib.eccle. Hierar.c.3

Perge igitur ut cœpisti princeps amplissime,diuos maiores progenitoresque ac parentes pijssimos tuos imitari,& libellum hunc docentem ea quę tu diligis, tibiq; dedicatum, legendo fac discas, quæ didiceris ames,ac suo tempore proficiens tũ ætate tum gratia, summis uiribus defendas. Sic eris dilectus deo & hominibus,ac memoria tua in benedictione. Hęc tibi in libellum sequentem scribere uolui, non alia de causa quam ut ad diuina colenda, animum tuum tenerum persuadeam, præsertim cum me ad hoc genitoris tui illustriss. clementia adstrictum sciam,cuius mandato te a sacro baptismate suscepi, & tuo nomine diabolicis põpis renũciaui, alia pro te deo maximo uouens,

ad quæ te obligatum usq; meminerís. Vale, uiue & cresce in domino Iesu seruatore, mei meorumque aliquando memor sis, princeps longe desyderatissime, ex Monaco archipoli Bauarica. Primo octobris An. M. D. XXXV.

AMPLISS. AC ILLVSTRISSIMO principi Alberthо utriusq; Boioarię Duci & domino clementissimo, M. Simon Mineruius, ab archiuis senatus Monacensis.

PVrpureos (age) pãde sinus Alberte precor dux.
Certantes pario marmore pande manus.
Accipe contracta textum coronide librum,
Author deuota quem tibi mente dicat.
Non hic Cretæi Iouis, aut umosa Lyei,
Non Paphiæ Veneris, probra nefanda docet.
Mystica sed celebrat libamina, flamen ad aras,
Quæ litat, in Christi sanguine grata patri:
Et breuiter memorat quæ sit sacræ περιχια Missæ.
Hostia quæ iugis, uictima uera deo.
Ac licet illa aliquis naso suspendat adunco,
Et clamet ueteres hæc redolere auias:
Clamet, reclamat patrum sententia concors:
Quorum hæc diuinis eruta sensa libris,
Tu modo macte puer uirtute, pijssime princeps
Perlege, & auspicio scripta tuere tuo,
Magnus honos, magno se principe posse tueri:
Maior at Albertho principe posse legi.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ALberto, illustrissimi principis, ac domini D. Vuilelmi, utriusq; Baioariæ ducis, filio, domino suo clementiss. Mathias Kretz Monachi Decanus, S. D.

DVm superiori anno, dux Alberte inclitæ, illustrissimus princeps Guilielmus parẽs tuus, dominus meus clemẽtissimus, ad Decani munus Monachij apud diuam uirginem me asciret, nihil diligẽtius mihi cõmiserat (quæ sua est pietas natiua, & ad uerbum dei amor) quam ut populo uerbum dei crebro cõcionarer: cuius equidem commissionis memor hac ętate, in æde diuæ uirginis de sacratissimo missæ officio concionari cœpi, libenter autem hoc argumẽtum in manus sumpseram, quia putabam hac tempestate nihil utilius posse dici, tum pro nostris catholicis, tum etiã pro Lutheranis, catholici deuotius missas audiũt, si cũ intellectu audiũt. Lutherãi, sinõ penitus sint indurati, in missam sęuire cessarẽt, si aduertãt nihil in ea audiri qđ nõ sonet dei laudem, uel mortis Christi exprimat mẽoriã. Hos porro sermões, eminẽtissime priceps, usum fuit & publicare, & illustriss. tuę dominationi nominatim dedicare: publicare quidem in uulgus uolui, si fortassis sic pluribus prodessent, interim ingenue fatens me nihil noui in medium afferre, minor enim est mea eruditio, quam ut post tot doctissimos uiros qui de missa exactissime scripserũt, noui quippiam & inauditi in lucem adferre queam: de missa scripserunt, Albertus, D. Innocentius Papa, quem Cochleus uir diligentissimus iam restituit, Hu

go Cardinalis, Abbas Tuicienſis, Abbas Berno, Gabriel Biel, Vuilielmus Duranti, Clichtoueus, Nauſea, & alij, ex quibus uel pauca excribere, mihi inter tot meos labores, ſacros & prophanos ſufficere putabam: dedicare autem tibi Princeps Alberte uolui, propterea quod ſingularem habeas erga hoc ſacroſanctū ſacrificium amorem & animum, referunt enim quod parari tibi feceris altariolum quoddam imaguncułis, uaſculis, candelabris, & alijs quæ huc attinent, inſtructū. Habere etiam tuos ornatus, ac miſſalia, quæ uocant, ſicque cum coëtaneis pueris puerili ter imitari ſacerdotes, miſſas decantantes. Si hoc in uiridi, quid in arido. Si hoc puer facis, quid facies ætate profectus? Certe, clarum exhibes ſpecimen te a parentum ac maiorum tuorum pietate non degeneraturum, hoc eſt ſanctiſſimum Miſſæ officium, atq; adeo uniuerſam fidem Catholicam, pio & forti animo defenſurum atque uindicaturum, modo deus optimus maximus uitæ tuæ annos tibi prorogare dignetur, id quod tota patria ſummis uotis a deo flagitare debet. Suſcipe itaque nobiliſſime princeps a me iam munuſculum hoc puerile & exiguum, puerili, hoc eſt facili & placido animo, lege aliquando, & Mathiam tuum tibi habe rogo commendatum, bene uale princeps optime,

Monachij uicesima Auguſti, anno noſtræ ſalutis ſeſquimilleſimo tricesimo quarto.

QVAEDAM PRAEAMBVLA

Vocabulum Missah Hebræũ est. Græcæ λειτουργία latine sonat officium, sacrum ministerium, sacrificium. Sunt qui putent esse latinum a mittendo, ꝙ sacerdos preces suas et sacrificia trãsmittat deo patri. Iuxta illud Pauli in Hebræis 5. omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.

In re uero, fundamento & substantia, Missa aliud nihil est quam consecratio, oblatio, & communio.

Consecratio fit, dum sacerdos uerba CHRISTI profert, super materia debita, cum intentione debita.

Dico sacerdos, solus enim is consecrare potis est, nam quibus CHRISTVS sacrandi facultatem contulit, hos tum sacerdotes fecit, his nimirum uerbis. Hoc facite in meam commemorationem, Lu. 22. Dico uerba CHRISTI, nimirum illa, Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei: atq; hæc uocitant uerba formalia siue essentialia, uoculam enim, addidit ecclesia, ut cohęreat oratio. Dico super materia apta, hæc est panis e tritico, uel ut alijs placet, omnis panis qui hominibus usui esse potest, modo sit e grano aristæ. Et uinum item e uite, quodcunq;.

Dico demum cum intentione debita. Hęc est ut sacerdos uelit agere id ꝙ eccl̃esia hic agit. Hoc ipsum in animo habens, certe consecrat, etiã si alioqui non sit rectæ fidei. Sententia enim D. Longobardi, hic non est recepta. Hic faciunt intentiones triplices Habitualem, actualem, & uirtualem, primam aiunt non sufficere, alteram non exigi, porro postremã plane esse sufficientem, uide D. Gabrielem, lect. 6. can.

Post con-

Post consecrationem mox fit oblatio, offertq; presbyter deo patri filium suum CHRISTVM iam in ara præsentem, incruente tum & inpassibiliter, repetens scilicet, repræsentans & uelut renouans, oblationem illam in cruce passibiliter factam, tandem sequitur cõmunio, missæ coronis. Ecce tria hæc consecratio, oblatio, communio, uel sola. Integra sunt missa, sed oppido quam breuis: talem CHRISTVS in cœna habuit, & forte post eum aliquamdiu apostoli. Sed mox facta prolixior. Petrus addidit, Iacobus minor canonem fecit, qui & Hierosolymæ primus missam celebrauit. Qualis deinde apostolorum missa fuerit ex diuo Dionysio, lib. hierarch. eccle. c. 3. facile constat, Apostolos secuti sunt uiri apostolici, sumi pontifices qui successu temporis reliqua addiderunt, ut missa creuerit, taliscq; facta sit qualem modo in ecclesia uidemus.

PRAEPARATIO ANTE MISSAM.

Missam lecturus, prius se purget, & præparet, cõfessione syncera, & oratiõibus piis, preces matutinas soluisse præcepti est, primas non perinde, nisi aliud habeat consuetudo: tertias, sextas, nonas, certum est, ait D. Gabriel, uel ante uel post posse persolui: proderit & ante sacrificiales precationes, quas accessum uocant, præmittere. Sic in Exodo c. 30. iubẽtur sacerdotes altare accessuri se in labro æneo lauare, sonorũ hoc uas apposite sonum cõfessionis & precũm figurabat, & Paulus Christiformis clamat, probet seipsum homo & sic de pane illo ędat, & de calice bibat, 1. Cor. 11. Hactenus præambula, nunc ad rem.

Vniuersam missam libet partiri in partes præcipuas treis.

1 Partem præparatoriam.

2 Canonem maiorem.

3 Communionem.

Pars præparatoria sic dicitur, ꝙ in ea et sacerdotes parẽtur ad communionem, & materia sacramẽti ad consecratiõnem. Quæ & missa Catechumenorum dicta, ꝙ hi olim ad eam admittebãtur, usq; ad Canonẽ minorem, habetq; particulas 12.

1 Psalmodiam siue introitum.
2 Suplicationem nouenam.
3 Doxologiam, siue hymnum angelicum.
4 Salutationem cum colleta.
5 Epistolam.
6 Graduale.
7 Halleluia.
8 Euangelium.
9 Symbolum.
10 Canonem minorem.
11 Præfationem.
12 Hymnum trisagium.

De his ex ordine dicemus.

I. INTROITVS.

Sic dicitur, ab introitu sacerdotis ad aram, uel

a meditatione quæ sub hoc fieri debet, tum enim meditari debemus introitum CHRISTI in carnem, in qua passus est, pro qua quidem passione repręsentanda atq; delinianda totum plane missæ officium est ordinatum. Ex prophetis siquidē est desumptus, a quibus CHRITVS & prophetatus est, & huc in carnē uenit. Addit Damaso institutore hymnus Gloria patri &c. qui personas tres diuinas omni tempore ęqualem habere maiestatem innuit, sicq; sacerdos hoc initio a sacra triade beneuolentiā capit, uelutsi quis cum principe aliquo acturus, laudis titulum prętetur.

II. SVPPLICATIO NOVENA.

Kyrie Eleison est, & Christe Eleison, nam nouies decantantur, hæc utebantur patres quoties aduersi aliquid incideret. Sic nos clamamus. Hilffher got hilff. Siluester a Græcis ad nos transtulit, apud illos tamen ab omni populo cantabatur, apud nos id non fit perinde. Et sunt dictiones duæ, semper seperatim proferendæ κύριε sonat domine, ἐλέησον miserere.

III. HYMNVS ANGELICVS.

Sic dictus, q̄ initium huius fecerunt angeli, nocte illa sacratissima qua natus est Christus, concinnētes Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Luc. 2. Porro reliqua quæ sequuntur, Ecclesia siue chorus succinit, authore Symacho. In hunc modum, laudamus te, benedi. te &c. Quasi dicat, O angeli uos iubetis ut deo detur gloria, En ob-

temperamus, quintuplicem deo promentes laudem.

Laus quinaria.	1	Laudamus te.
	2	Benedicimus te.
	3	Adoramus te.
	4	Glorificamus te.
	5	Gratias agimus tibi propter magnã glo. tuam.

Subiudicatur etiam in hoc Hymno diuinæ substantiæ, Monas & Hypostasium in ea trias, binas itẽ in Christo esse naturas quæ, facile est aduertere.

IIII. SALVTATIO CVM COLLECTA.

Postea presbyter ad populum uersus eundem salutans dicit, dominus uobiscum, quibus uerbis dei præsentiam ipsi precatur, qua fiat attentus, pius & deuotus, atq; sic oratio quam iam eius uice ad deum fusurus est, reddatur efficax. Estq; genus hoc salutationis scripturis haud insuetum: sic angelus Gedeoni dominus tecum uir fortissime. Iud. 6. Angelus item Mariæ, dominus tecum, Luc. 2. &c.

Populus respondet. Et cum spiritu tuo. Quasi dicat, tu presbyter optasti nobis diuinam præsentiam, ut reddamur attenti, ad deum erecti & pij. Identidem & nos uicissim tibi optamus, quo sic oratio utriusque nostrum communis accepta fiat & impetrabilis. Estque responsio hæc ex Paulo desumpta, is posteriorẽ ad Timo. Epistolam sic finit. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Dominus uobiscum, Amen.

Deinde fit communis precatio, quam collectam uocant, a colligendo, q̃ presbyter non oret solus, nec̃ pro se tantum, sed totum secum colligat populum, cum quo & pro quo, uelut communis aduocatus, cõmunem facit orationem, ein uersamlet gepet. Vnde dicit, oremus, numero pluratiuo. Et sunt collectę (ait D. Erasmus in libello de modo orandi) precationes antiquissimæ, quibus olim ecclesia solenniter uti consueuit in cultu diuino, ante & post consecrationem. Habentq̃ primum post scripturas authoritatis locũ. Sunt enim in his quæ resipiunt apostolicum ac syncerum spiritum. Optaremq̃ sane ego, ut laici sua lingua omnes haberent totius anni collectas, imo præter canonem totam missam. Sic enim multo maiori, ut arbitror fructu missas audire possent, dum eadem legerent sua lingua quæ sacerdos latine, bene proinde & utiliter mihi egisse uidetur eruditus uir magister Christophorus Flurhaym Kitzingensis, qui cantum omnem & orationes omnes, quibus ecclesia toto utitur anno, tum in missa, tum alias, germanicæ uertit, & pro laicis in publicum ædidit.

V. EPISTOLA

Ordinarunt deinde uiri apostolici & patres prisci, ut presbyter oratione iam gratiam a deo nactus, populo doctrinam impertiat, atq̃ concionetur, hoc agitur in epistola sequens euangelium declarante, & interim semper tempori, caussæ & orationis statui conquadrãte, id qd exemplo clarius facerem, nisi breuitati studerem, usus tamen iam habet, ut extra mis-

ſam fiat ad populum contio.

VI. GRADVALE.

Cantus aſper & grauis, ad lamentum enim pœnitentiæ pertinet, ipſaq; pœnitentiæ opera, proinde epiſtola apte ſequens. Contionem enim ſequi debet pœnitentia cum ſuis fructibus: habet nomẽ uel a modo canendi, initio enim plerunq; graue eſt, deinde ſuis gradibus aſcendens, uel a loco in quo canitur. Nam in dominicis hoc eſt Cathedralibus eccleſijs, quæ omnium ſunt uetuſtiſſimæ, canens graduale ad gradum ſæpius conſiſtit, & inferior eo ſtare conſueuit qui ſubſequens Alleluia concinit: myſticos innuitur nouitium pœnitentem non dum alte aſcẽdiſſe in uia dei, ſed adhuc in plorationis conualle poſitum, cæterum indies ipſum altius aſcendere, atq; adæditiorem procedere gradum. Iuxta illud Pſalmi. 83. Beatus uir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in ualle lachrymarũ, in loco quem poſuit, et tamen benedictionem dabit legiſlator, ibunt de uirtute in uirtutem &c.

VII. ALLELVIA.

Hebraicæ docti cenſent id uocabuli non eſſe ſimplex ſyllabarum, ſed duas integras in ſe dictiones complecti, priorem uerbum triſyllabum in principio aſpiratum, alterum nomen monoſyllabum in fine aſpiratum, prior Hallelu, ſonat laudate. Altera Iah. dominum, eſtq; apud Hebræos unum de 10. dei

nominibus, quæ diuus Hieronymus in quadam ad Marcellam epistola recenset. Hoc ipsum Alleluia cantus est hilaritatis, & ingentis lætitiæ, imo uerius iubilus quam cantus. Diuiditur enim una brevis syllaba in plura Neumata siue notas. Aptissime que sequitur Graduale canticum: Nam certissimum est tristiciam pœnitentiæ semper ingens sequi gaudium. Math. 5. beati qui lugẽt, quoniã ipsi consolabuntur. Gaudium inquam sequitur pœnitudinem, cum hic tum maxime in futura patria, ibi perpetuum erit Alleluia. Apocalip. 19. Post hęc audiui quasi uocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentiũ Alleluia, & repetitur aliquoties hæc uox.

VIII. EVANGELIVM.

Latine bona nunciatio, sic dictum, authore Eusebio li. De præparatione euangelica, ab initio, q̃ æterna atq; incorruptibilia, bona quæ certe suprema & maxima sunt, atq; adeo summam fœlicitatem cunctis hominibus annũciet, uel, ut aliis uidetur, q̃ bonũ & lætum nobis afferat de Christo nuncium, nimirum q̃ is potenter pro nobis uicerit, peccatum, mortem et inferos, ita ut hæc formidãda nobis non sint, si eidem uiuaci fide adhæserimus. Hoc præciosissimum nuncium admirans Esaias c. 53. Quam speciosi inquit, pedes euangelisantium pacem, annunciantium bona, & repetit hoc Paulus. Romanis c. 10.

APPARATVS SIVE CAEREMONIAE ad lectionem euangelij.

Diaconus euangelium lecturus. Initio petit benedictionem, deinde præcedentibus cæroferarijs cū thuribulo, locum ascendit eminentiorem, abbas tuicinensis uocat lectricium. Hic uersus ad aquilonem cantare incipit, dominus uobiscum, plebs uel chorus respondet, & cum spiritu tuo. Quibus allocutionib. mutuo se ad euangelium attentissime audiendum excitant. Diaconus pergit cantans, sequentia sancti Euāgelij secundum N. uel N. populus uel chorus reuerēter respondet, gloria tibi domine, ueluti dicat, sit tibi o deus, summa laus & gloria, qui tam iucundum nūtium, uerbum scz salutis, nobis e cœlo mittere dignatus sis. Interim tam diaconus quam populus ternis se muniunt crucibus, scilicet ne diabolus euāgelij fructum longe uberrimum quoquo modo impedire ualeat, est enim ipse uolucris hæc funesta, quæ preciosissimum diuini uerbi semen de cordibus audientiū tollere nititur, ne credentes salui fiant, Lu. 8. Tribus inquam se plærunq; signant crucibus, ad frontem, os & pectus, uidelicet indicantes se euangelium crucifixi a deo nō erubescere, ut parati etiam sint hoc ipsum profiteri cum ore, tum intimo pectore. Euangelio finito, liber apertus super puluinari positus, prælato seu sacerdoti, osculandus offertur. Quæ omnia suas habēt significationes, quæ peti possunt ex D. Innocentio, Abbate Tuicienſi, uel Vuilielmo Durandi, qui postremus in his exponendis aliquando uel nimium est profusus.

IX. SIMBOLVM.

Græce

Græcæ & collatio dici poteſt, hoc eſt q plures in unum conferunt. Et indicium, ein kuntſchafft oder kreyd, fides duodecim articulorum, quæ ſymbolum apoſtolorum dicitur, utroq; ſignificatu recte ſic dicitur. Nam & collatio eſt, & inditium, collatio quidem quia apoſtoli in unum contulerunt qđ unuſquiſq; de deo ſenſit, ut ſic concors eſſet fidei profeſſio. Indicium autem uel ſignum idcirco, quia in illo tempore, ſicut Paulus apoſtolus dicit, & in actibus apoſtolorum refertur, multi ex circumeuntibus iudęis ſimulabant ſe eſſe apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius uel uentris gratia ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nunciantes, idcirco iſtud indicium poſuerunt, per qđ agnoſceretur is qui Chriſtum uere ſecundum apoſtolicas regulas prædicaret. Hæc ad uerbum S. Cyprianus in huius ſymboli expoſitione. Et S. Hieronymus in epiſtola cui titulus eſt Symbolũ Rufini: quã uis D. Eraſmus Roterodamus diligentiſſimus horũ authorum recognitor, putet hæc eſſe τὰ ψευδεπίγραφα. Repetit tamen hæc Rabanus de inſtitutione clericorum lib. 2. c. 56. De ſymbolo peculiariter differit S. Auguſtinus lib. 4. ad Catechumenos, & libello de fide & ſymbolo: Hoc ſymbolum minus & ſcire & firmiter credere tenentur omnes Chriſtiani quamlibet ſimplices, a ſacerdotibus amplior exigitur ſcientia. Iuxta id Malach. 2. labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiã &c. Ex epiſcopis dum initiantur percontatio fit an utrunq; calleant teſtamentum. Atq; hoc ſane apoſtolorum ſymbolo in miſſa non utimur. Cæterum poſt apoſtolorum mortem uariæ ſuccreuerunt in ortu ec-

cleſiæ Zizaniæ, præcipue autem draco quidam magnus, quem Ioannes in Apocalypſi ſua preuiderat, e mari aſcendit, Arius ille Alexandrinus, hic filio dei naturam diuinam adimere auſus fuit, qua peſtilentiſſima doctrina ingẽtes excitauit in eccleſia turbas, ita ut oriens & occidens exitiali bello inter ſe conflictarentur, ob id optimus ille & pientiſſimus imperator Cõſtãtinus magnus, magnũ cõuocat concilĩũ. Cõgreganturq; Niceæ urbe Bythiniæ 318. patres, ferme ad numerum annorum Chriſti tunc currentium, ab his ſymbolum compoſitum qđ uocant Nicænum, & maius, non quidem aliud, ſed plane idem cum priore apoſtolorum, niſi q; duodecim articuli in hoc, propter hæreticos & perfidos, fuſius & apertius ſunt diſcuſſi & declarati. Hoc ipſum ſymbolum Marcus ſummus pontifex in miſſa legi inſtituit, & quidem continuo poſt euangelium, q; ſcilicet poſt euangelĩ prædicationem mox ſequi ſoleat fides, dicente Paulo Ro. 10 fides ex auditu, auditus per uerbum dei. Solebat autem in eccleſia recenti ſymbolum iſtud in templo nõ modo a clericis, ſed & a tota eccleſia communi uulgi lingua dulciter decantari, uerum is ritus iam deſijt, quemadmodum plæriq; alĳ non parum multi: libet hic referre quæ magnus ille Eraſmus Roterodamus ſcribit in libello quodã cui titulus, Epiſtola De. Eraſmi Rot. contra quoſdam qui ſe falſo iactant euangelicos, olim (inquit) totus populus canebat, & ſacerdoti reſpondebat Amen. Ibi ſtrepitus tonitruo non abſimilis, & ridicula uocum confuſio ſpectaculum exhibebat indignum cultu diuino. Nunc deſignati ſunt qui canant decenter, cæteri pſallunt in cordibus ſuis domino. Et cum multorum in eccleſia rituum muta-

tiones recitasset, tandem subdit. Quid multis? si Paulus hodie uiueret, non improbaret opinor, presentem ecclesiæ statum, in hominum uitia clamaret, o uocē Christianissimam, auro scribendam, quam si ecclesiæ hostes capere possent, fallor si non ad cor redirent suamq; faterentur stulticiam.

X. CANON MINOR.

Finito symbolo. Sacerdos & populus iam tertio inuicem se ad deuotionem mentemq; in deum intentam commonefaciunt, sacerdos dicit, dominus uobiscum, populus respondet, & cum spiritu tuo, deinde sacerdos cohortatur ad orandum, d. Oremus. Hæc fiunt propter sequens sacrificium, quo scilicet dignius ac religiosius perficiatur, dehinc sequitur offerenda. Sub qua offerri debent tria.

Ipse met homo. Hęc oblatio spiritualis est, sacerdoti & plebi communis. Quiuis enim Christianus cum alias semper, tum maxime quando missæ astat, deo se ipsum offerre debet, hoc est diuino nutui, uoluntatiq; se totum subijcere subiugareq;, diuo Paulo monēre Ro. 12. obsecro uos fratres per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra, hostiam uiuentem, sanctam, deo placentē: Hic intentissime adhortatus sum populum ut hoc potissimum pestis tempore, se quotidie deo per ultroneam mortem offerat, asserens hominem non melius se posse ad mortem disponere, q̄ si hoc pacto sese, uitamq; suam, atq; adeo totum id q̄d a deo accepit, ultro & libere, iterum in manus dei tradat, reponat, resignet, & offerat. Dicatq; cum Chri

sto in cruce moriente, pater in manus tuas commendo spiritum meum.

2 Dona externa, ut pecunia, panis, potus, & uictus alia cætera. Hoc per quam diuiter fiebat in ecclesia recente. Ibi largiter conferebant, quantum sufficiebat ad uictū cum sacrificulo tū pauperibus: uerū mos hic desijt, mutatus in sacerdotia, hoc est prouētus qui annuo ecclesiasticis penduntur: cæterum desyderarem hic maiorem pietatem, in presbyteris & laicis. Illi sacratissimo missæ officio nonnunquam ad suam auaritiam, ac nummorum aucupium abutuntur, hi interdum parochis suis, suum pensum, hoc est oblationes consuetas subtrahunt, uel si non subtrahunt certe peiora tribuunt, ut uel hic locus sit quærelæ propheticę Esaie. 24 Sicut populus ita sacerdos, faxit deus ut utricq; suum faciant officium.

3 Materia eucharistiæ uel sacrificij, de hac supra ab exordio: Hanc sacerdos per se uel ministros rite super altari componit, deinde etiam offert: Demum consecrat &c. Hæc in canonem minorem ueluti quædam sunt præambularia, nunc de ipso differendū canone.

Panē hunc oblaticium, Germani uocant offlat uel oblat, ab offero, vt et hinc subindicet missam esse sacrific.

Canonem hunc a minore eodemcq; priore sacrificio, panis scilicet naturalis & uini, minorem dictum arbitror, in eo presbyter tum materiam tum se ipsum ad futura magnalia, aptat præparatcq;. Ne illi accidat qđ olim Bethsamitis arcam domini temere tangentibus. Et agit nimirum quincq;.

1. Reg. 6

4 Thus adolet. Thuribulo in crucis modum, super oblatis ducto, quo ritu sathanam præpedire uult, quo minus se hisce sacris suis artibus ingerat. Sic Thobias ab archangelo Raphaele edoctus, suffitu dæmonium

fugauit Tho. 11. Mysticos odor deuotionis insinuatur. Manus lauat, qd' aptius hic facit quam post hymnum trisagium, tum enim interrumperet præfationem & canonem maiorem, quæ tum cohærent. Hic sacerdos cogitet meliorem lotionem suæ animę, frustra enim manus lauat, si interim illotam habeat conscientiam. 2

ORAT. 3

Tres plęrũq; oratiunculæ.

1 In spiritu hu. &c. In hac petit ut sacrificantes sint deo accepti.

2 Veni sanctificator &c. In hac petit ut oblata cœlitus sanctificẽtur, & consecrentur.

3 Suscipe sancta tri. &c. In hac petit ut oblatio cœlicolis cedat in honorem, nobis terricolis in salutem.

Ad populũ se uertit, eius precib. se, in opere tam arduo adiuuari desiderãs, d. orate pro me fratres &c. 4

Dicit secretam, in qua orat ut missæ hostia usq; adeo fiat, apud patrem cœlestem accepta, efficax & fructifica, ut cessura sit. 1. patri cœlesti in gloriam. 2. sanctis in honorem. 3. animabus in liberationem. 4. nobis mortalibus in salutem, atque in ea bona quæ in missa peculiariter petuntur. 5

Summa, petit ut missa suos assequatur fructus, appellatur secreta, uel a mysterijs multo secretissimis quæ mox incipient, uel q; hic memorari debeamus silentium Christi, quando iam sua imineret passio, nã ab eo die quo Caiaphas mortis sententiã ineũ tulerat,

non iam amplius palam apud Iudęos ambulabat, sed secretus cum discipulis latuit. Ioan. 11. In secretarum tum conclusione, presbyter eleuat uocem, alte canens per omnia sæcula sęc. quo rursus populum ad orationis uigilantiam extimulet, sicq; oratio secreta, etiam a populo adiuta, fiat ualidior.

XI. PRAEFATIO.

Canonis maioris prologus, qui digne habet prologum, ob res sumas & mirificas quæ inibi aguntur. In hac presbyter beniuolentiam a deo apud quem tantam acturus est causam, captat, tota siquidem est in dei laudibus & gratiarum actione: principio ter admonet populum, ut summa deuotione dignitate & reuerentia, uentura sacra excipiat.

1. Dominus uobiscum.	Pòpulus sub inde annuēs & obtempe-rans, respon-det.	Et cum spiritu tuo.	
2. Sursum corda.		Habem. ad do.	
3. Gratias agam. d. d. nostro,		Dignum & iu. est.	

Deinde ad deum se uertens, postremam populi responsionem probat & commendat, dicens. O domine sancte, pater omnipotens, ęterne deus, utiq; dignum & iustum est, æquum & salutare, ut nos omnes, tibi, semper & ubiq; gratias agamus, ob innumera beneficia quibus nos afficis, cum alias continue, tū maxie in multo sanctiss. hac λειτουργία, ubi totus es tui, pdigus, totū te ipsum expēdis. Ni mirū unicū tuū filiū Iesum Christū nobis donās, iure tā pleno ut no-

bis liceat eundem reciproco munere, tibi redonare atq; offerre, denicq; sub typis sacramentalibus manducare & bibere, qua beneficentia, imo uero magnificentia, nulla maior cogitari potest in cœlo & terra. Sed quonam modo deo patri agendæ sunt gratiæ? Certe per Christum dominum nostrum. Nempe aduocatū & mediatorem. Ita. enim & nouem cœlestium spirituum chori deo patri sua impendunt obsequia. Nam omnes per Christum maiestatem patris laudant, adorant, tremunt, & communi lætitia celebrāt. Sed age colligamus ex περίοδο hac, tremunt potestates, aliq; doctrinulas.

Si Christianus sacramento astans, uel idipsum uidens altius expenderet, quanta nam hic præsens lateret maiestas, nihil mirum sit si totus contremiscat, animo deficiat, & concidat. Nam si ab hac maiestate tremunt potestates cœlestes, spiritus scilicet purissimi, ijdemq; fortissimi, quippe potestatis tenebrarum debellatores, homuncio impurus, luteus, fragili, quid faciet? aut quomodo consistet? 1

Qui in templo, choro, uel locis alijs ubi præsens est Sacramētum, leues sunt, uaniloqui, incomposiți, sunt sane impij, nihil minus quam Christiani, dignicq; qui cum Iudæis in templo negociantibus, multis flagellis e templo agantur, in hoc etenim loci tremunt potestates. Vnde huc quadrat illud uirgilianū procul o procul este prophani. 2 3

Inhonoratio seu irreuerentia quæ uenerabili sacramento ab impijs irrogatur, nō manet inulta, qui in dei iustitia multis eam modis punit & uindicat, uel in hac uita: sentit id probe nostrum sæculum, quouix

aliud fuit irreligiosius, quodque grauioribꝫ. blaſphemijs ſacramentum hoc digniſſimum exhonorauerit. Vindictarum aliquot genera deſcribit Pſalmus 68. fiat (inquit) menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum, obſcurẽtur oculi eorum ne uideant, & dorſa eorum ſemper incurua, effunde ſuper eos iram tuam &c.

Ad finem præfationis ſacerdos nomine populi rogat patrem cœleſtem, ut ſuas uoces admittat & acceptet cũ uocib. angelis, ita ut ex uocib utriſqꝫ unus fiat laudis concentus, unaque modulatio ſuauis & deo grata. Recte uero id rogat, ſiquidem duæ hæ uoces longe ſunt diſpares, ac plus quam diſdiapaſon diſtãtes. Imo laus omnis humana angelicæ laudi collata pene ſorderet, neqꝫ laus nominari merebitur: proinde niſi deus iubeat, ſua dignatione faciẽs aliquid, qd ſuapte natura nihil eſt, inſolẽs ſit homo et temerarius, quiſquis ſe angelis ſociet, horum eſſe uolens ſodalis et concentor, illud uulgatum merito auditurus. Anſer ſtrepit inter holores. Itaqꝫ iam exauditus ſacerdos, ſequentem pangit hymnum.

XII. HYMNVS TRISAGIVS.

℣. Ter ſanctus. Hunc S. Xiſtus octauus adidit. Hymnus plane diuinus, ex laudibus angelorum & hominum conflatus, prior pars angelorum eſt. Eſa. 6 Altera hominum turbæ ſcilicet, Chriſto die palmarũ acclamantis, hoſanna in excelſis, benedictus qui uenit &c. Mathæi. 21.

Benedictus in quã, qui uenit.
- Dudũ in mundũ, per incarnationẽ.
- Die palmarum Hyerosolymam asinæ insidens.
- Adhuc quotidie ad altare, sed aliter, nempe sacramentaliter, sub teletis occultus.

ALTERA MISSAE PARS PRAECIpua, Canon maior.

Canon sonat regulam, atqui hoc uerborum contextu qui est in nostro canone, & non alio ecclesia Romana in hisce sacris uti solet, tanquam regula, forma, seu certo quodam præscripto. Factus est autem non uno authore, neq; uno tempore, sed diuersis: uerba consecratoria tradidit dominus, plæraq; addiderunt apostoli: Deinde non nihil patres. Gelasius pontifex conlegit in unum atq; ordinauit.

HABET PARTICVLAS SEPTEM.

I.

Te igitur clementiss. pater &c. Presbyter rogat patrem cœlestem, per filium, ut adposita panis & uini dona, grata habere, eadẽq; benedicere ac sacrare dignetur.

Panis & uinũ dicuntur.
- Dona, quatenus nobis a deo donantur.
- Munera & sacrificia, quatenus reciproce a nobis deo redduntur & offeruntur.

II.

In primis quæ tibi offerimus pro &cæt.

Recenſet 5. ordines pro quibus eſt litaturus.

1. Pro tota eccleſia militante, ut pater clementiſſ. dignetur eam.
   - 1. Pacificare, ne ab tyrannis & hæreticis infeſtetur.
   - 2. Cuſtodire a uicijs
   - 3. Cõgregare, diſperſam inter iſideles, ut iuxta Pſal. 67. fideles omnes habitent unio moris in domo.
   - 4. Regere in proſperis & aduerſis, ut iuxta Pſal. 120. ſol ipſam per diẽ nõ urat, neq; luna per noctẽ.

2. Pro ijs qui alijs præſunt, ſcilicet eccleſiæ capitibus.
   - 1. Liberentur a peccatis.

3. In uniuerſum pro omnibus recte credentibus.

4. Pro certis ſelectis, quorum peculiarẽ habet memoriam.
   - 2. ſalui fiant.

5. Peculiariter quoq; pro illis qui miſſam audiũt. Eiuſmodi ſunt q uel uoce orant, uel taciti uerba miſſę ac myſteria aduertũt, nõ q garriũt aut circũſpaciãtur.
   - 3. Corpe ſint incolumi, id enim poſtremo petendũ.

Summa, litatio hæc fit generaliter pro cunctis. Speciatim pro quibuſdã prælatis & ſubditis. Et his quidem litans tripharia adeo precatur beneficia, temporalia, ſpiritualia, æterna.

Sed quidnam pro ſingulis litamus? uerum ſane corpus, uerumq; ſanguinem Ieſu Chriſti filij dei, non buccellam panis, uelut canonemaſtygę calũniantur: proinde te admonitum uolo lector, ut cum panem et uinum litari legis, figurate id accipias, uidelicet non ſub ea ratione qua ſunt ante ſacrationẽ, ſed qua ſunt poſt eam. Niſi de oblatione minori hoc accipere malis. Hanc qui uelit, buccellam panis, & uilli hauſtulum uocitet.

De ualore miſſæ triplici, decq; eiuſdem adplicatione uide, ſi libet locupletius. D. præpoſitum Gabrielẽ, lect. 26. canonis.

III.

Communicantes & memoriam uenerantes &c. Et quia nobis mortalibus, multa intercedit cum diuis communio, ideo preſbyter cauſſam agens tam cœleſtem etiam horum meminit: Nominatim diuę uirginis, deinde 12. apoſtolorum: Deinde 12. Martyrum, demum generatim diuorum omnium. Rogans deum ut horum meritis & ſupplicationibus auxilijs & protectionem ſuam ſibi impendat, litationemque hanc, ita ferat acceptam, ut per hanc placatus, pacem det in hac uita, in alia non damnet, ſed in cœlis cum electis annumeret.

Confeſſorum autẽ, ſiue (ut Damaſcenus uocat) exercitatorum, nulla hic fit peculiaris memoria, cauſſa eſt antiquitas canonis. Nam hæc pars facta credi-

tur, priusq̃ ecclesia illorum celebraret memoriam: cæterum disputare multis de diuorum inuocatione, nõ est huius compendij. Nobis catholicis usus ecclesiæ abunde sufficit.

IIII.

Quam oblationem tu deus in omnibus &c. Iam demum sacerdos adgreditur opus primum, e tribus illis, quæ supra ab initio diximus esse præcipua, summa, & uere substantialia in missa, nempe consecrationem.

Proferens autem uerba consecratoria esse debet oppido attentus, collectus, ardens & religiosus, eloquitur enim ea non ut sua sed quasi ore Christi. Legati principum dum eorundem nomine aliquid perorant, deum immortalem quam sunt uigilantes, seduli meditati, compositis moribus: Christus summus est princeps, Vę ergo sacerdotibus leuibus, frigidis, irreligiosis & uagis, melius sit illis agasones esse quam tanti principis personam agere. Tria autem hic in canone commemorantur, a nullo Euangelistarum scripta 1. Eleuatis oculis in cœlum, 2. Aeterni testamenti, 3. Mysterium fidei: hanc siquidem formam ecclesia accepit ab apostolis, & hi primũ a Christo. Vide D. Inno. lib. 4. c. 5.

Facta consecratione mox leuat sacramenta, populo ostendens ut adoret eandem. Veteri teutonico dicitur, man uuandelt, apte quidem id & proprie, uersio enim siue mutatio facta est panis & uini in corpus Christi & sanguinem, quam uulgo uocant transsubstanciationem V.

Vnde & memores domine nos serui &c. Sequi-

tur alterum missæ opus, magnum & principale, oblatio: hic enim sacerdos ex persona ecclesiæ offert patri cœlesti filium suum Christum, non quidem in mortem (ut hostes nostri cauillantur) sed in mortis eius memoriam: ut oblatio isthæc missalis non sit suæ oblationis iteratio in pœnam, sed quædam huius repræsentatio ad prouocandum dei misericordiam. Offerēdo brachia expandit, sic orans, unde & memores domine &c. Veluti dicat o clementissime pater, en nos seruuli tui miseri & ægentes, offerimus maiestati tuę, mysticis his ritib. Iesum Chm filiū tuū hic præsentē, hostiam unice mundam. Sacrificium iusticiæ unicū, offerimus inquam, tibi filium in memoriam eorum, quę ipse hic in terris nostri caussa egit, potissimum autem suæ passionis, resurrectionis, & ascensionis, hæc enim tria eius opera plus cæteris ad complementum nostræ redemptionis & glorificationis operata sunt, Hūc ergo, hunc respice o pater, non nos immundos, respice inquam in faciem Christi tui, & huius non nostri gratia atq; intuitu, condona nobis scælera, largire bona, amolire quæcq; mala. Sacrificium hoc tibi semper placet, scimus, olim enim dixti, tu es filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Sacrificuli non item. Age pater & hac parte succurre, effice nos bonos & dignos, quales olim fuerunt Abel, Abraham, Melchisedech, litatores, ob innocentiam, obedientiam, & sanctimoniam tibi dilectissimi, atq; gratissimi. Tales si nos feceris, indubie omnem benedictionem & gratiam, copiam. s. cœlestium charismatū nos omnes ex hoc plenissimo fonte hauriemus.

Psal. 82

Math. 3

Sacrificium semper gratum ex opere operato, siue oblato, petitur fieri gratum etiã ex ope operante siue offerente.

Iam nolo pluribus expendere, num missa sit sacri

ficium. Egi hoc ex instituto in cõcione quadam tẽ
tonica, Augustæ uindelicæ habita & ædita, & latius
in responsione ad ea quæ contra me scripsit Leo Iudę
us, quamuis is iam non ægeat responsione, quippe
qui mutata circa sacramentum sententia, ipse nunc se
ipsum impugnet.

Si quis piam hic quid desyderet, legat, consulo D. Georgiũ vuicelĩũ, rarę doctrinę virum, qui tali acrimonia, sectas tracta, tut ad eas extirpãdas uideatur esse natus.

VI.

Memento etiam domine famulorum &c. Mortis Christi memoriam, apte iam sequitur memoria mortuorum in ipso, quibus & ipsis mors Christi prodest, Et proinde ecclesia missale sacrificium iam illis adplicat, hoc est petit ut huius fiant participes, facitq; illud decreto concilij Cabilonensis, quod recitatur de con. Di. 1. Visum, & id quidẽ moris iam inde ab ipsis apostolorum temporibus in ecclesia durauit, uide S. Dionysium, apostolorum coëtaneum, lib. Hier. ec. c. 3.

VII. PARTI.

In canõe ter reperitur cõmemoratio sanctorum. Desumptũ ex lege vbi sacrificantes & orantes, patrum memoriã recolebant.

Nobis quoq; peccatoribus sa. &c. Supra ante cõsecrationem postulatum est diuorum in hoc negotio suffragium. Nunc petitur cum ipsis, post miserã hãc uitam, fœlix & iucundum in cœlis consortium. Idq; non meritis nostris, sed dei munificentia, & certe per Christum D. nostrũ, quod conclusionis genus quinquies est in canone, ut quinaria domini uulneratio cõgrue intimetur.

Cæterum quod annectit canon, per quẽ hæc omnia domine semper bona creas, sanctificas &c. Magnificatio est potestatis paternæ, in quem uelut authorem primum trãsfert & reducit, quicquid id est quod

in supercœlesti hoc sacrificio est patratum, rursum quod concludit per ipsum,& cum ipso &c. Profunde quidem & obscure, magnificatio est gloriæ Christi,in quem item transfert & reducit, quicquid est in sacra illa triade honoris & gloriæ,quippe qui hanc in terris quum uerbis tum operibus illustrarit atq; clarificauerit.

QVOMODO IN CANONE ISTOTA domini passio delinietur ac repræsentetur. Appendix.

Sane si quis fuerit attentior,comperiet in canone isthoc repræsentari,reddi, depingi, & quasi ad uisum exhiberi,ne dum Christum in cruce litantẽ,sed in uniuersum omnes passionis articulos,adeoq; totam illã hebdomaden, antepaschalem,a luna scilicet Decima primi mensis, quando Iesus adijt Hierosolymã, usq; ad septimam decimam,quando resurrexit a mortuis, ut quam rectissime missa dici possit passionis Christi typus,quoddam ueluti spectaculum,& quædã actio. Denicq; expressum & uiuax dñicæ passionis memoriale, utq; in eadem quam efficacissime impleatur qd Christus præcepit: Hoc facite in meam com. Porro non loquor hic de oblatione missali, præcipua missæ parte,atq; præcipuo,ut sæpe meminimus,oblationis cruentæ repræsentaculo,siquidem aliter & alijs modis Christi passio in missa effigiatur& repręsentatur, nimirum quadrifariam. Nonnunquam uerbis passione sonantibus. Gestibus,nam quod sacerdos manus expandit, extensionem Christi in cruce præsignat. 1 2

Iuxta illud expãdimanus meas tota die: quod se usq; ad altare inclinat dicendo, supplices te rogamus, Christum in cruce inclinato capite spiritum tradidisse fi-
3. gnificat. Maxime crucibus, uerba namq; principaliter spectant ad eucharistiam consecrandam. Signa uero principaliter ad historiam dominicæ passionis recolendam, ait D. Inno. Qui & alio loco de ijs crucibus sic scribit, sacrificium septem uicibus signatur in canone, prima uice ter, ibi hæc dona hæc mu. Secunda quinquies, ibi, quam oblationem tu deus dign. fa. benedictam, ascrip. ra. &c. Tertia bis, ibi. Accipiens Iesus pa. benedixit. Similiter & hunc præcl. ca. Item tibi g. a. bened. Quarta quinquies. Ibi hostiã pu. ho. sac. &c. Quinta uice bis. Ibi sacro sanctum filij tui cor pus & sang. Sexta ter, ibi sanctificas, uiui. & bene. Septima quinquies. Ibi per ipsum, & cum ipso &c. ter super calicem & bis in latere calicis. Sicq; fiunt summatim cruces, 25. Qui numerus perse ductus semper in seipsum reducitur in infinitum: quantũlibet enim multiplicetur eucharistiæ sacramentum semper est
4. idem sacrificium. Missalibus indumentis, horum sunt sex. Amictus siue superhumerale. ποδήρης siue Alba, cingulum, manipulus, orarium siue stola, πλανητα. Et hæc quidem sex presbyteris & episcopis sunt communia, episcopi præter hæc habent propria: quorum omnium mysteria & significationes tum allegoricas, tum morales, si quis plenius nosse uelit, uideat apud D. Abbatem Tuiciensem de diui. offi. D. Innocentium. D. Vuilielmum in rationali, atque alios liturgiæ elucidatores, mihi cordi est esse laconicum.

Viginti quicq;, numerus cubicus siue quadratus, nam in sese reductus in finities semper surgit.

Ter

TERTIA ET POSTREMA MISSAE pars, Communio.

Sic dicta a tertio missæ opere, magno & substantiali, nempe communione, hoc est sacramenti susceptione, huc enim ferme spectant, quæcunq; hac in parte habentur: quam rursus secare uolui in particulas >.

I.

Oremus, præceptis salutaribus moniti &c. Presbyter quo dignius communicet, precationem dominicam præmittit, cũ sua præfatiuncula & ἐμβολὴ, hoc est accessu & fine, petens alta uoce dari sibi panem illũ. ἐπιούσιον hoc est supersubstãtialẽ, ut est apud Matthæum c. 6. iam in altari consecratum. Diuus Gregorius in registro suo asserit se precationem hanc canoni adiecisse, & quibusdam inde murmurãtibus humili responsione satisfacit, inconueniens esse asserens, ut oratio quam scholasticus composuit superoblationem diceretur, & illa prętermitteretur quam ipsi apostoli ex institutione dominica, in confectione eorundem sacramentorum usitasse crederentur. Hoc cum a Græcis accipisse uideretur, in hoc differre uoluit, ut cum apud Græcos ab omni populo dicatur, apud nos a solo sacerdote cantetur. Est autem precatio hęc omnium optima, omnium excellentissima, suis numeris omnibus absolutissima, mira breuitate omnia cõplectens, quæ licite a domino desyderari possunt, & extra quam nihil legitime expetitur, ait Augustinus ad Probam.

Habet petitiones >.

1. Spectat ad deū. Huic impēdi petimus laudē honorem & reuerentiam in toto orbe.

1 Sanctificetur nomē tuū

2

6. Aliæ spectant ad nos.

In priorib9 trib. pcamur bona.

1. Sūma uitā eternam.

Adueniat regnum tuum.

3

2. Media gratiam qua seruemus

Fiat uoluntas tua.

mādata.

4

3. Infima, corporis uictum.

Panem nostrū quotidia.

5

In posterioribus trib9 depcamur mala

1. Sūma peccata.

Et dimitte nobis de.

6

2. Media, peccandi occasiones ut tētationes trium hostium.

Et ne nos īduc in ten.

>

3. infima uarias afflictiones tū animi tū corp.

Sed líbera nos a malo.

II.

Et intercedente beata &c. Da propitius pacem &cæt. Agit de pace domini siue Christiana, non diabolica, carnali, uel mundana. Et quidem multis principio petit pacem in diebus suis, per intercessionem diuæ uirginis, & aliorum quorundam diuorum, more suo concludens, per eundem dominum nostrum Iesum Christum. Sub qua conclusione hostiam in tres frangit particulas, tertiã, factis sup ore calicis trib. crucib. calici inmittit, dicens, pax domini sit semper uobiscũ. Tres hæ particulæ, traditione patrum, treis intimant ecclesiæ partes, triumphantes in cœlo, militantes in terra, & patientes in purgatorio, quæ omnes ex hoc sacro oppidoq; uiuifico suos sortiuntur fructus. Dehinc Christus sub agni nomine ter inuocatur, ut nostri misereatur, idest ut admissa remittat, siquidem manentibus ijs nemo pacem assequitur, eam de qua hic fit sermo: Quando peccata inimicitias ponunt inter nos & deum. Esaia. c. 59. dicente, iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & deum uestrum.

Postea precationem pro pace repetit, sed expressius: Demum aliquod exhibet pacis symbolon. In sacello pontificis alius alium osculatur, per totum chorum. Alibi plærunq; imaguncula aliqua aut tabella circumfertur osculanda.

Congrue uero pax datur ante communionem, quia iudicium sibi manducat & bibit, quicunq; non prius fratri suo reconciliatus communicare præsumpserit: Christo asserente Math. 5. Si offers munus tuum ad altare &c. Pax enim domicilij dei est, ac Christi sacrarium. In pace factus est locus eius, inquit pro-

pheta Psalmo.35. Atq; adeo sacramentum hoc inde nominatum est συνάξις communio, quæ quid aliud est quam pax, unio, concordia, charitas, fraternitas, amicitia? ein brieder essen, ein lieb essen, ein gesellen brot: Tales certe tales, pacifici, mansueti, candidi, fraterni &c. & non alij ad sacram communionem sunt idonei. Hoc enim cibi huius dominici uere suum est & proprium, quem idcirco cibum charitatis, ac Christianæ societatis, rectissime quis nuncupauerit. Id nimirum panis & uini species significant, panis unus ex multis compinsitur granis, & uinum unũ ex multis confluit racemis: Sic nos Christiani omnes, cibo hoc communi utentes, mutua charitate compinsi, cõfluere, & cohærere debemus, esseq; concordes, unanimes, unumq; in domino, sicq; fieri unus spiritualis panis, uinũq; spirituale unum. Hoc ipsum etiam significat Christi corpus uerum, ueraciter hic contentum, nempe ut nos Christiani omnes, quãlibet multi, qui omnes unum Christi corpus manducamus, unum simus corpus mysticon, cuius caput Christus, atq; hoc est quod D. Paulus in Corinthijs sentit, unus inquit panis, & unum corpus sumus multi, nam omnes ex eodem pane participamus. 1. Cor. 10. Neq; uero Christi corpus uerum unionem hanc tantum significat, quin imo eandem etiam efficaciter efficit: Efficit inq; unionem non solum spiritualem, qualem etiam sola faceret fides, sed & corporalem, id quod pauci expendunt, & longa ægeret declaratione, sed pergo. Proinde nulla sunt uitia sacra. huic magis repugnantia & contraria: Nullaq; quę manducatorem indigniorem faciant, quam simultates, dissensiones, lites, inimi-

Apud Ireneum & Teruil. hoc sacra. nullum aliud nomẽ habet q̃ eucharistia: apud Diony. Areopagi. peculiare eius nomẽ est Sinaxis. Chrisos. semel uocat sacramentum pacis, expende quare. Huc spectat q; antiquitꝰ episcopi, alijs episcop. aduenis eucharistiã solẽniter transmittebãt, sc. hoc symbolo sacerrimo significãtes pacẽ se habere cũ eis & societatẽ, haud dubie ex apostolica cõsuetudie desumptũ, ui. Euse. li. 5. c. 24. hist. eccl.

dicias, iræ, rancores, liuores. Scelera namq; istiusmodi eucharistiæ ex Diametro aduersantur, quomodo. n. tales unus erunt panis, unumq; corpus, in tanta scilicet cordiū ac animorū diuersitate? Ampliores pacis Christianæ laudes & sectiones in præsentia relinquo.

III.

Domine Iesu Christe fili dei uiui, q̄ ex uolū. &c. sacerdos iamiam communicaturus intra sacrum stat & saxum, fluctuans medius inter duos affectus, desyderium, & timorem, desyderium quidem habet ingēs manducandi, quia Christum audit Io. 6. inuitantem pollicentemq; qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouiss. die. Rursus timorē habet, q̄a Paulum etiam Christiformem audit bis minitātem, semel sic: quicunq; manducauerit panem, & biberit calicem domini, indigne, reus erit corporis & sanguinis domini: & iterum his uerbis, qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, nō dijudicans corpus domini, ideo inter uos multi infirmi &c. 1. Cor. 11. Quibus uerbis uelut quodam tonitru, perterretur, tremulus fit & timidus, timens ne cibus hic & potus, ut suapte natura salutares sint & uiuifici, sibi tñ ob suam indignitatem fiant exitiales & letiferi: ad hæc se suo metitur pede, nouit suam imbecillitatem, nouit probe se suis uiribus nunquam posse illo pertingere ut digne sumat, imo nec Cherubin aut seraphin hoc posse, Quid ergo facit? quo se uertit? certe sursum, ad potentiorem, ad eum qui omnia facere potest digna & munda. Is est Iesus Christus dei filius, quem hic habet præsentem, quemq; iam est sumptus

Sciueris tñ hic lector aliud esse indignū sumere aliud indigne, indignus sumit quamlibet etiā purus & sanct9, indigne sumit qui se non probat.

ris. Hũc p̃catur ut defectũ ſuũ ſarciat, ab illo ſe parari diſponi, aptũq; idoneũ & mũdũ fieri petit, ne indigne ſumat: & habet ſane hic presbiter precatiões triphariás, peculiariter ad cõmunionẽ ptinẽtes, nã q̃ præceſſerant non ita proprie huc attinebant. Quaſdam ante cõmunionem. Quaſdam ſub ipſa. Deniq; aliquas poſt eandem.

p In precationibus ante communionẽ agit 4.

1. Petit per ſacramentum hoc liberari a ſuis ſceleribus, atq; incommodis aliis quibuſlibet.
2. Petit ut hoc ſacramentum ſibi ſit ſaluti, proſitq; tum animæ tum corpori, ibi perceptio corporis tui, domini noſtri Ieſu Chriſti &c.
3. Ingenue indignitatẽ ſuam cognoſcit, hinc ſe demittit, abijcit, humiliatq; q̃ altiſſime, fitq; ferme puſillanimis. Ibi domine non ſum dig. &c.
4. Rurſum ſe erigit, atq; animum reſumit, fretus ſcilicet immenſa dei miſericordia & bonitate, huic totus fidit, ab hac totus pendet, inq; ſinum huius ſe totum reijcit, & hac fiducia tam grandi, animoſus factus ac fortis, panẽ hũc ſupercœleſtem in manus accipit iam manducaturus, atq; hæc demũ ad cõmunionem præparatio, facile eſt ſumma, ibi panem cœleſtem ac. &c.

Iam ſub ipſa communione preſbyter ſacro ſanc
cto Chriſti corpore reuerēter ſe ſignans dicit, corpus
domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam meam
in uitam æternam, itidem & ſacratiſſimo ſanguine ſe
ſignans dicit. Sanguis domini noſtri Ieſu Chriſti cu
ſtodiat animam meam in uitam æternam: cuſtodiat
inquam animam meam, tanquam medicina præſer
uatiua, ne redeat ad uomitum, neq; in priora relaba
tur ſcelera, ſed in finem uſq; in dei gratia perſtans, ab
hac miſera uita, commigret in uitam fœlicem & æter
nam.

Poſt communionem ſiue euchariſtiæ fruitionem
petit, ut ſacra hæc non tantum externe per os & fau
ces tranſeant, ſed adeo ad intimam uſq; mentem per
ueniant, eademq; ſanctificent, uegetent & ſaginent,
ut ſic ſumat ne dum ſacramentaliter, ſed & ſpiritua
liter, quādoquidem nihil prodeſt, quinimo plurimū
obeſt ſumptio ſacramentalis, niſi eidem coniuncta ſit
perceptio ſpiritualis.

Non ſunt autem precatiunculæ hæ eędem apud
omnes eccleſias, neq; numero, neq; uerbis, ſed uariæ,
ſed neq; ad officium ſacerdotale pertinent, uerum ad
ipſum ſacerdotem priuatim, cui & liberum eſt eas uel
dicere uel omittere, conſultum tum fuerit ut ſuæ ſe cō
formet dioœceſi. Super hoc abbas Berno libello de of
ficio miſſæ ſic ait, orationem quam inclinati dicimus
antequam communicemus, non ex ordine, ſed ex reli
gioſorum traditione habemus: & poſt pauca, ſunt &
aliæ multæ orationes, quas quidam & ad pacem, &

Presbyt. nō fit nimis lōgus in missa q̄ multi audiūt, ne pro sua parua deuotione, alijs det ariditatē & nauseā, uerba sunt Ioānis maioris in 4. senten. di. 13. q̄. vlti.

communionem priuatim frequentant. Sed diligentiores antiquarum traditionum obseruatores, nos in huiusmodi priuatis orationib. breuitati studere docuerunt, potiusq; publicis precibus in officio missę occupari uoluerunt.

IIII. PARTI. COMVNIO VEL POST communio.

Antiphona est, ferme semper uel ex ueteri uel nouo testamento desumpta, estq; gratiarum actio post epulas illas cœlestes, iuxta illud Psalmi. 21. Aedent Pauperes & saturabuntur, & laudabunt dominum: unde altisone & cum quodā iubilo cātari solet, quod gratiarum actionis & gaudij, post communionem signum est, iuxta id psal. 41. In uoce exultationis & cōfessionis sonus epulantis. Adpellatur ita, quia in recēti ecclesia Christiani etiamnum a sanguine Christi feruidi, quotidie sub ea communicare solebant: deinde fidelium multitudine crescente, & populo tepidiore facto, traditur institutum, ut uel dominicis communicarent diebus: postmodū populo ad huc frigidiore facto, ut nec hoc obseruari potuerit, tertia secuta est institutio, ut ter saltem in anno, quiuis Christianus, sacra has frueretur mensa, tribus scilicet ferijs sum̄is, paschatos, pentecostes, & natiuitatis dominicę, in quod extat canon, seculares, de con. dist. 2. Iam hoc irreligiosissimo sæculo isthuc præcepti ad paschatos tantum ferias decreuit, hoc inuento remedio ut pro communione quæ solebat fieri quotidie, daretur osculum pacis, & pro communione quæ fieri solebat diebus dominicis,

dominicis daretur panis benedictus, qui mos fuit in Frantia, ait Hugo card. opusculo de missa. Noui dogmatistæ nituntur etiam unicam hanc paschalem cõmunionem abolere. Parum autem hoc eis fuerit, nisi & ipsum uenerabile eucharistiæ sacramentum, cum liturgia ipsa tota, imo tota nostra religione, in totum tollant: sed uotis eorum nõ succedet, Christus pro sua promissione, non patietur portas inferi aduersum fidem ecclesiæ suæ præualere.

V. PAR. COMPLENDA

Hoc nomine dicitur, quod complementum sit, Colophon, & finis totius liturgiæ, estq; precatio supplex pro his peculiariter qui iam communicarunt, nempe ut in his ipsis sacramentum hoc suos agat fructus, quos om̃es numero stringere, sane potest nemo. Cæterum si in summã eosdem contrahas generalem, facile feceris binos, incrementum diuinæ gratiæ in uita præsenti, & gratiam consumatam, quæ theologis est gloria, in futura, quod ipsum & uocula ευχαριστία sonat: Hanc enim Origenes contra Celsum scribens bonam gratiã interpretatur, alij gratiarum actionẽ, gratitudinem, comitatem, quæ interpretationes singulæ sacro nostro quam appositissime conueniunt. Notabis & hic obiter presbyterũ in missa uertere se ad populum quinquies, at eundem salutare septies, quod nec ipsum fit absq; mysterijs, sed mitto.

Missæ fruct. i specie sunt innumeri, in genere duplices.

VI. PARTI. ITE MISSA EST.

Solennis dimissio populi, uelut dicat, iam redite

in domos ueſtras, ad ſuas quiuis operas, ad rem familiarem, nam miſſa finita eſt. Recte porro iam primum dimittit populum, ſiquidem ante miſſam finitam ueteri eccleſiæ ſtatuto nemini temere templum egredi licet, canon eſt, oẽs fideles de conſe. d. 1. Sed proh deũ, oia licent quæ libẽt, omnis honeſtas & pietas ſuſq; deq; turbatur & proculcatur: nimiumq; uerum eſt Lucę gaurici Neopolitani, mathematici de hoc ſæculo prognoſticon.

Proh dolor, aſpicio procliuem ad crimina mundum.
Nequitia inſurget, uirtus calcata iacebit,
Et tantum improbitas uicto damnabitur orbi.

Populus, uel huius uice chorus aut miniſter reſpõdet, deo gratias, hoc eſt, agamus deo gratias de horum completione myſteriorum, ſiquidem deo opt. max. agere debemus gratiam, cum alias ſemper, tum maxime poſtq; hoc ſummum perfecerimus ſacrificiũ per quod ueluti cannales, ſacratiſſimę paſſionis Chriſti uirtus quotidie ad nos miſeros dimanat.

Virtus oblatiõis Chriſti cruẽtæ in cruce, adplicatur nobis per hanc oblationẽ miſſalẽ incruentã, nqtũ, n. ẽ paſſiõnem Chriſti nobis per fidẽ et ſacramẽta adplicatum ſri.

VII. ET POSTREMA PARTICVLA Benedictio.

His qui miſſæ interfuerunt dimiſſis, & abeuntib. ſacerdos neluti ualefaciens, benedicit, hoc eſt, precatur ut deus trinus idemq; unus illos quibuſlibet impleat bonis, atq; a malis omnibus ſeruet, cuſtodiatq;, porro uaria malorum & bonorum genera, ſupra in precatione dominica recenſita ſunt.

Hunc benedicendi ritum nemo Chriſtianus exigere poteſt, ſic etenim Moyſes & Aharon expletis ſa-

crificijs benedixerunt populum, Leui. 9. ſic Simeon ſenex in tẽplo parẽtes pueruli Ieſu benedixit, Lu. 2. denicꝫ ſic Chriſtus rex & ſacerdos, quando iam ultimo, poſt reſurrectionem, cum diſcipulis comediſſet (cuius quidem ultimæ comeſtionis, communicatio quæ in miſſa fit typum gerit) iamꝫ ab eis in cœlum diſceſſurus eſſet, eleuatis manibus ſuis, eiſdem benedixit, Lucæ ultimo. Quod autẽ huiuſmodi benedictio preſbyteris antiquitus interdicta erat, ab. Berno li. de miſſa c. 22. ideo factum putat, quia & ad epiſcopale officium pertinere uidebatur, & eccleſiaſtico conuentui non dum adeo neceſſaria reputabatur: nam ſoli cõmunicantes, confectioni ſacramentorum antiquitus intererãt, quibus & oratio poſt communionem, quę pro ſolis communicantibus inſtituta eſt, pro benedictione potuit ſatisfacere: apud iuniores autẽ cum iam populus communicare ceſſaret, nec tamen a diuinis myſterijs ſe ſubtraheret, neceſſario permiſſum eſt, ut a preſbytero benediceretur, ne tam benedictione quã etiam cõmunione priuatus diſcedere uideretur, hæc Berno. Cęterũ hoc loci ingerit ſe quęſtio, num preſbyter populum benedicat ex proprio officio, an uero ex authoritate epiſcopali ſibi in id conceſſa? Et hæc quidem quæſtio protinus aliam parturit difficiliorẽ, an epiſcopatus ſit ordo peculiaris, ab ordine ſacerdotali diuerſus, ubi diuus Dionyſius Areopagita, & ſacer Hieronymus, duę eccleſię lampades, nonnihil uariant, ego mitto hos apices, aliorſum fortaſſis magis pertinẽtes: de priore tñ quęſt. ſi cui lubeat, uidere poterit D. Bernonem, loco iam citato, de altera theologum incomparabilem D. Ioannem Eckium prece-

ptorem meum obſeruãdiſſ. De primatu Petri li. 3. c. 22. Iam benedicendi forma quæ ſit, & quantum bonorum cumulum, ſimplex hæc uocula benedico in ſe claudat, caput ſextum libri numerorum, docet: incõſulto proinde agit, qui non expectata ſacerdotis benedictione, abit, tam multis tamque præclaris ſe orbans bonis.

Ecce hæ ſunt ſeptem particulæ, uelut ſeptem fruſtula, tertiæ & ultimæ partis, noſtræ liturgiæ: Precatio ad trinitatem. Placeat tibi ſancta tri. nihil noui habet, ſed eſt prædictorum uelut anacephaleoſis, breui compendio colligens ferme omnia quæ præcedentibus inerant orationibus. Solet uero in miſſæ officio ſæpius uſu uenire, ut unus idēq; ſenſus, alijs ſubinde uerbis repetatur, id cur fiat, plane ignoro: ignoro aũt & alia longe plura & maiora, q̃ de auguſtiſſimo hoc ſacrificio ſint pernoſcenda, quis enim pelagus hoc immenſum permetietur? quis fontem illum indeficientem exhauriet? Diuus Chryſoſtomus crebro illud adpellare ſolet Græca uoce μυσήριον quę ſonat arcanum ſiue ſecluſum: ſcite quidem, ſeeluſum enim nobis eſt, ac uelut ſpecus Coritij inpenetrabile & inacceſsũ: de ſpecu illo refertur apud Pomponium Melam, quod primum iucunda quadam amœnitate accedentes allecter, ac ducat ad ſe, donec altius atq; altius ingreſſos tandem horror quidam ac maieſtas numinis illic inhabitantis eoſdē ſubmoueat. Sic ſacri noſtri maieſtas in acceſſu iucunda eſt, tota uero permeari ac peruesti gari poteſt minime', nemo hanc ad plenum uel intelligere poteſt uel explicare, ut maxime hic locum habeat illud Eſa. 7. niſi crediderit is nõ intelligetis: quid

ni ergo, ego sciolus, & tenui doctrina homo, libenter ibi insciti am meam fateor: quid ni, insufficientiam meam promptus agnoscam? Proinde te rogo, mi lector, tenuem hanc meam & tumultuariam explicationem boni consule, tantum enim gustum quendam tantæ rei porrigere uolui, rem ipsam totam & integram exhibere & exponere, nec uolui nec potui, quin & oportuit ut populo me attemperarem, apud quem hæc in templo concionatus sum, itaq; qualia cunq; sint, quæso iterum, æqui consulito, deumq; pro me misero peccatore orato.

AD EVNDEM ILLVSTRISS. PRINCIpem Albertum peroratio.

Habes illustrissime princeps Alberte, missam breui transcursu elucidatam, satis tamen ostensum arbitror, nihil eidem inesse quod nõ sit pium & uenerandum, nihilq; quod ex scripturis desumptum non sit, uel ijsdem admodum affine, quin omnia aut tinnire dei laudem, aut sacratissimam Iesu Christi repræsentare passionem: ut quam rectissime maiores nostri dicere soliti sint, fœliciorem esse & fortunationem tota die, qui mane fœlicẽ audierit missam. Itaq; q sanctissimum hoc missæ sacrificium abolent aut prohibent, altaria destruunt, census sibi seruantes, uideant quid agant: nouimus Danielem prophetare de Antichristo, quod nouissimis temporibus ablaturus sit iuge sacrificium, hoc aliud esse quam nostrum missæ sacrificium, illi nunquam euincere poterunt: ipsos ergo si quis Antichristi ministros & præcursores uocet, pu- Daniel. 11

to non iniuria fecerit, habet autem tales Germania nostra (dolēs dico & gemens) circū circa non parum multos. Atqui benedictus deus qui patriam nostram in has abominationes delabi non permiserit, id uero cui secundum deum, acceptum feremus Dux generosissime, nisi Vuilielmo genitori tuo, & Ludouico tuo patruo, princib. nostris christianissimis? Hi enim bone deus, quanta uigilantia & sæueritate his monstris, tanq; muri fortissimi obstiterunt? quod nisi fecissent, uereor ne iam etiā utraq; Bauaria lapsa esset, imo ne dum Bauaria sed & aliquot aliæ confines prouintiæ, quæ sumpto ex nobis animo & robore, etiānum (deo sit laus) in fide catholica perstant, usq; adeo ætas nostra sectarum & errorum ferax est, & ad defectiones procliuis: illis nostris pientissimis principibus deus opt. max. cœlitus benedicat, tribuatq; ut multa fœlicitate patriam suam regant quā diutissime: benedicat & tibi deus princeps Alberte, factatq; indolem tuam fœliciſſimam, olim in messem præclarissimarum uirtutum affatim excrescere, ita ut ad gloriam & splendorem maiorum tuorum, per te amplius ornamentum, & maior claritas ad cumulū accedat: denicq; post hūc principatū terrenum & transitorium, prouehat te ad cœlestē & æternū, per Iesum Christum dominū nostrū, qui in nostra missa & mystes est summus & summa hostia, cui cum patre & sancto spiritu, sit laus, honor & gratiarū actio in sæcula. Amen. Vale iterum excellentissime princeps.

Spes mea tu Iesu es: gratia non merita.

M. K.

EIDEM ILLVSTRISSIMO OPTIMAEQVE SPEI principi ac domino, Domino Alberto utriuſq; Bauariæ duci, Domino ſuo clementiſſimo. Vuolfgangus Sedilius monachus Tegrienſis, iam Monachij apud Auguſtinianos concionator, quotidie in Chriſto proficere.

SI te conuenio princeps clariſſime iam ne
Mireris, tibi nec friuolus eſſe noter.
Nonne ſacros tenera ritus effingere curas, — Laus principis à pietate conatus.
Aetate ac annis myſtica ſcire nouis?
Quis te non moneat? quis non ſtimulet doceatq;
Cum porro cunctis commodus eſſe queas.
Atq; patrem proles, Vuilelmum dico proberis — Aparetis zelo, religioſoq; ſtudio.
Poſſe dei zelo, & relligione ſequi.
Tam ſunt fœlici tua iam tentamina nobis
Auſpicio cunctis, indole nota, ſimul.
Vt ſi tu uerpis quondam natus, puer Amon — 2. paralipo. 34. de Ioſia filio Amõ.
Cantatus literis, cederet inferior:
Sed domino grates dignę ſint omnipotenti,
Quod tibi Vuilelmus, non pater ille datur.
Hinc etenim pietatis amor tibi fortius hæret,
Quo magis agnatus uenit & intimior.
At quæ ſymbola ſacra, dein quæ uis ſit eorum, — Nõ ſatis eſſe effingere, cõtra impe ritos ſacriſſiculos.
Te nunc, o princeps optime, noſſe decet.
Ne ceu uana rudi pereant concepta minerua,
Tentatuſq; ſua commoditate labor.
Porro tuis ſtudijs ſi fas alludere, primum

Corpore de Christi discę tenere fidem,
Quam proh synceram uęcors nec Zuinglius, imo
Fidē veram ab ecclesia discendā esse quòd errare nō possit, Nec plene mordax ille Lutherus habet.
Iis ergo longe missis te confer ad ipsam,
Quæ falli nescit, fallere nescit item
Catholicam dico Christi plebem, dominicq;
Sermonem specta, quotidianum & opus
Authoritate ecclesię uerum Christi corpus in eucharistia. Eadē, et esse sacrificium. Sub panis forma constans ecclesia corpus
Esse sacrum docuit, dicit & usq; modo,
Et missam non inuentum uanum, sed ut est iam
Acceptum uulgo, munus apostolicum,
Thysian, atq; deo gratam, si quis neget, ecce
Christus adest testis uerus & omniscius.
Idem ex uerbis Christi. Luc. 22 Ioan. 6 Veracem credis Christum? credo mihi dices.
Mosęos impletum, tunc quoq; pascha dabis.
Attamen in Christi regno solum, nec opinor,
Rore minus sapido, nec minus esse puta.
Manna quid impleuit? Christi caro, cur Phase nō sic,
Diuinum corpus, sanguis & ipse sacer?
De uero loquimur, quo pro nobis cruce passus,
Quoq; triumphator uectus ad astra sedet,
Ibidē, panis, quē ego etc. 1. Cor. 11. & Mat. 26 Illius id quando firmat promissio, panem
Qui dandum carnem dixerat esse suam.
Passuri pariter testatur & ultima cœna,
Ni cruce quis fictum duxerit esse datum.
Deniq; scin princeps panem hunc signū? puto nosti,
Ioan. 6. d. quod ergo tu facis signum &c. Manna uelut quondam Mosęos illud erat,
Iudæi signum quęrunt, promittitur ipsis.
Non cibus ille datus, manna nec angelicum.
Sed quid? cœlestis panis, si credimus ergo
Promissum signum, uile quid esse nequit.

Tale

Tale nec exiguis fluidæ quod uiribus actum
Naturæ ſubſit, credere iure potes:
Quando igitur Chriſtum tantilla claudier audis
Sub panis ſpecie, pluribus atq; locis,
Nil aliud tecum reputa, clariſſime princeps,
Quam, ſignum eſt, factum cunctipotẽte manu.
Quod, noui, facies, ſed ne non poſſe putes id
Offerri, quod ſit uictima toſta ſemel.
Iam factum meditare poli, quod ſedibus altis
Aeterno coram iudice Chriſtus agit.
Scilicet ille idem, qui ſe ſemel obtulit, uſq;
Nunc & pro nobis a patre conſpicitur.
Sed quid opus, cum diluerit ſemel omnia, pendens
In ligno, mundum conciliando patri?
Apparere patri Chriſtum, quid dicis, & ipſum
Eſſe παράκλητον? quid cedo Chriſtus agit?
Suſpiciat ſciolus, quidnam apparere patri ſit,
Aſſiſtens, pandat, quid uelit ἀρχιτέκτων.
Et nos mactari Chriſtum non poſſe fatemur,
Morte nec offerri ſæpius, at quid id eſt?
Obtulit & Chriſtus ſemel expaſſus cruce cunctos,
Offerri ſed quis nos neget hinc hodie?
Ni fruſtra mediatorem quiſquam eſtimet, ut qui
Non reſipiſcentes offerat uſq; deo.
Si trahit ac offert, ipſum recte quis inanem
Eſſe παράκλητον ducere, quæſo ualet?
Iccirco qua diſce παράκλητος ratione
Dicatur, quo ſit thyſia noſtra pia.
Cauſidicus certe quiuis cauſas agit, at non
Omnibus eſt eadem uis, quia nec ratio.
Nil niſi cauſidici plures, noſter ſed & ultra

Signũ. i. miraculum.

Idẽ ſacramẽtũ eſſe ſacrificiũ, ex quotidiãoChriſti facto.

Heb. 9. g

Obiectio cõtra hæreticos.

Chriſtũ apparere vultui dei pro nobis, & aduocatũ noſtrum eſſe quid ſit.

Rom. 6. b
Heb. 9. g.
1. Pet. 3. c.

Chriſtũ cotidie nos patri offerre.

Ioan. 6. c.

Qua ratione Chriſtus ſit aduocatus, ſpectandum.

Heb.9

Assistens ἱερεὺς, ac mediator adest.
Angelicas mentes certum est nostras agitare
Causas, & placito thure referre preces.
Vt iam patronos quosdam uocitare fideles,
Actoresq; bonos gestiat omnis homo.
Quid uetat & nostros diuos orare? pater tu
Peccanti clemens da uenìam misero.
Cum sat constet eos nostra gaudere salute,
Vellecq; nil aliud quam deus ipse uelit.
Illos nemo tamen celso apparere tonanti,
Pro nobis unquam pontifices docuit.
Patronus quare non qualiscunq; uocatur
Ioanni Christus, fingit ut impietas.
Sed qualis tandem fuerit? quanam ratione
Voce παράκλητος fertur apostolica?
Ille παρακλητοῦ genti Paulus recutitæ
Schema, tropon, simul & uim satis exposuit.
Detexit sane uerborum lumine tanto,
Ac tanto sensus pondere disseruit.
Vt uideas nostram Christi facto, proprio ceu
Integre adumbratam thysian archetypo.
Ingressus (dicit) Christus cœlestia sancta,
Vt sit pro nobis amodo conspicuus.
Assistit dextræ uelut δεξιοτερεὺς, ut in æuum
Hostia sit uiuens, semper ut est ἱερεὺς.
Vnde paracletum esse, patri est assistere, sicut
Thysian æternam pontificemq; simul.
Aduocat hinc Christus quando se sistit, & ipsi
Apparet uiuens hostia grata patri.
Nec solum, ut sancti, dicit, miserere benigne
O pater afflictis, parce rogatus eis.

Diuos aduocatos quosdã nostros esse.

Christus lõge maiori ratione aduocatus noster, quam sint alij.

Heb.9 Christus assistẽs, & post eã. Nõ enim in manu facta.

Ibidẽ c.7.10 Quo pacto sit Christus aducatus noster.

Sed, pater ecce tuus natus ſuper omnia ſemper,
Quo tibi complacitum eſt, uulnera nonne uides?
Num tibi deleti manuumq; pedumq; cruenti
Clauiſ? nil te iam lancea dira mouet?
En totum corpus, ſed & ecce colende miſellum
Iſta cui moriens ſtigmata cuncta tuli.
Iam dic o princeps, nunc reſpondere licet, quod
Eſt Chriſti factum? quid modo Chriſtus agit?
Nonne deo præſens memorat ſua ſtigmata? nonne
Sanguineas guttas, innouat atq; necem?
Et nil diuerſum, credas, eccleſia tentat,
Authori plane conuenit ipſa ſuo.
Conuenit & ſuperæ, quod cur cenſetur iniquum?
Quando idem prorſus Chriſtus utriq; datur.
Ergo ſi Chriſti factum non carpere fas eſt,
Et ſponſę hæreticus deſinat eſſe grauis.
In miſſa nihil aduerſum Chriſto, inſolitumq;
Omnia cœleſti ſunt celebrata typo.
Is niſi non æquum reputet ſua dona litare,
Hoſtia cum Paulo corpora ſint hominum.
Sed quid te moror o princeps? cum paſcha fuiſſe
Thyſian atq; cibum nemo negare queat.
Καὶ τῷ μὲν κυρίῳ λειτουργουντας ſacer auſit
Primæuos Lucas commemorare patres.
Quod niſi donetur, deſinit & eſſe ſacerdos,
Ordine Melchiſedek perpete ſacra litans.
Atſi Chriſtus in æternum, Dauide canente,
Eſt ἱερεύς, cur non hoſtia iugis erit?
Hinc quia Melchiſedek κατὰ τὴν τάξιν, ſit in omnes
Sub pane & uino thyſia noſtra dies.
Miſſam ergo ſacrum, quis iam non confiteatur?

Actio Chriſti qualis.

Eccleſia eſt Chro unio ſacrificij eſt prima ratio. Eiuſdē cum triūphante vnio myſtici ſacrificij ē ſtabilitio. Doni poſſeſſi ratio ſacrificij eſt perfectio. Ro. 12. Figurę perfectio ſacrificij noſtri eſt ꝓbatio exo. 12. deut. 16 Apoſtolici facti ueritas eſt myſtici ſacrificij teſtificatio Act. 13. cap. Melchiſedechici ſacerdotij ſtabilitas ſacrificij noſtri eſt certitudo, Pſal. 109. He. 5. 7

Malach. 1

Cui uel Melchiſedek τάξιν habere placet.
Vel certe Malachi καταξίαν tranſiſſe fideles
Θυσίαν ad gentes integritate ſua.

Daniel. 11
Heb. 13

Cui uel poſtremo Danielis & ἐνδιάλειχτος
Cognitus eſt, Paulo dicta uel ara ſacro.

Laus rhapſodiæ.

Ignoras igitur miſſam, & quæ uictima templi
Myſtica, quæ cœnæ ſacra ſynaxis item,
Hunc legito canonem, quem Kretzius ille ſagaci
Ingenio clarum reddidit & facilem.
Perſpicuum ſane docta & iuſta breuitate,
Battus enim nuſquam flaccidus eſſe poteſt.
Multiloquos alij laudent, alijq; ſophiſtas,
Kretzius ille pius ſit tibi qui placeat.
Viue diu fœlix princeps clariſſime, noſcq;
Agnoſcas olim corde fauente tuos.

Tria ſunt in patre, quæ in filio deſyderantur.

Et quod dignentur ſuperi præſtare, paterna
Mente tua ſedeat firmiter alma fides.
Aeſtuet ad clerum miſerans affectus, amorq;
Diuini cultus ſedulitate uigens.

Anno M. D. XXXV.

CONTRA EVCHARISTIAE INIMICOS.

Impĳ in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter, populus autem ſciens deum ſuum obtinebit.
Danielis. 11. cap.

SVPLICATIO

QVORVNDAM APVD HELVETIOS EVANGELITTARVM AD .R.D.HVGONEM EPISCOPVM CONTANTIENSEM NE SE INDVCIPATIATVR VT QVICQVAM IN

preiudicium Euangelij promulget neue scortationis scandalum ultra ferat, sed presbyteris uxores ducere permittat aut saltē ad eorū nuptias conniueat,

CROZER THEOLOGICAL SEMINARY

BUCKNELL LIBRARY CROZER THEOLOGICAL SEMINARY

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO HVGONI DE HOHENLANDEN BERG EPISCOPO CONSTANTIENSI CVM OBEDIENTIA & SALVTEM OPTANT.

IRABITVR forsan excellẽtia tua pater Reuerendissime, Quid hæc inusitata res, nempe ad te scribendi epistolas sibi uelit, nec id immerito, natura enim ita comparatum est, ut inopinata non modo admirationem, uerũetiam stuporem aliquãdo pariant. Quanctꝫ te hac in re penitus libe rum esse iubemus ac securum quã ad te deferimns. Non enim ad excellentiam tuam recurrimus molestioris alicuius rei gratia, sed inueniẽdę opis. Te enim ita persuasi sumus esse et dominum pientissimum et patrem amantissimum, ut nihil non nobis apud te pollicea mur, id quod res ipsa indicat, nunctꝫ enim alioqui eramus ad tuam P. scripturi, nisi ea freti id fecissemus. Illam igitur suplices oratam uolumus, ut id quod paulopost aperiemus benigne audiat, beneuolẽter capiat, ac boni consulat, postulat autem idem et res ipsa quę nos ad hoc adigit, postulat item officium quod amanter ac paterne obis. Res autẽ ut tandẽ ad eam descẽdamus, ea est: Nouit paternitas tua Reuerendissima, quam non sine sumo salutis dispendio, lõgo tempore, cœlestis illa doctrina, quã creator omnium deus p neminem sese inferiorem sed per omnia parem sibi filium, patefieri uoluit, misero mortalium generi, quorundã insciacia latuerit, ne dicamus malicia, cunctꝫ eam nostra tempesta te ueluti postliminio reuocatam instaurare statuerit, quam inciuiliter qdam illam uel oppugnent uel defendant, hoc enim omne studium huc tẽdit ut primo impetu bellum o

mne profligent, quod si minus succesſerit toti concidunt, il lorꝝ uero tam impudens eſt obſtrependi peruicacia ut tãetſi ſacrarum literarꝝ umbone ſupinati, gladio ſpiritus qui eſt uerbũ dei confodiãtur, cedere tamẽ nolint, ſed Chriſto potius repugnent cꝫ ſua deſerant, donec et Chriſtum et ſua deſerere cogãtur, priſcorꝝ adeo ritu Iudęorum, qui ut Chriſto uiuenti reſtiterunt donec occiderant, ita mortuũ quoq; perſecuti ſunt donec ſimul omnes ipſi perirent, Quem inauſpicatum exitum ut eis minime libenter preſagimus, ita ne qñ eueniat metuere cogimur, haud preter rationẽ, ſicut enĩ tũc Iudęi e ſinagoga nequicꝫ ejciebant, qui Chriſto credidiſſent, creſcebat enim in diem magis ac magis fides, ſimiliter hac noſtra tempeſtate ſi qui ueros iſtos Chriſti prędones deterrere uel etiam perdere pergant tantumdẽ efficient. Quappter Gamalielis uerbum eis crebro inculcandum eſt, nẽpe ut recedant ab hominibus iſtis qui ad nos cęleſtia mandata perferunt, nam ſi ſit ex deo diſſolui neq̃at, ſtultum enĩ fuerit ſi qs deo repugnare tẽtet, ſuero ex hominibus futurum ut ſuaſpõte ſoluatur. Interea tamen anxie cauendũ ne nos quemadmodũ iſti in miſerrima urbe miſere perierunt, mali qddam imprudentes obruat, nunc̃ enim uerbum dei impune neglectum eſt. Quãobrem. R. P. te per domniũ noſtrꝝ Ieſum Chriſtum obteſtamur ne his accedas, qui lucem in hũc mundum profectam ut inluminet omnem hominẽ ſub modio celare imo extinguere pergunt, quic̃ dicunt malum bonum & bonũ malũ, conuertẽtes dulce in amarꝝ, lucem autẽ in tenebras, ſed eis potius qui unum hoc in uotis habẽt ut uniuerſa Chriſtianorꝝ multído ad caput ſuũm quod Chriſtus eſt redeat & in eo in unum corpus coaleſcat, ac dei ſpiritu concepto cognoſcat quæ a deo ſibi donata ſint, id q̃d minime fieri uidemus ab his, qui pacem neſcio quã ſibi pollicẽtur futurã, ſi humanę p̃ceptiones Chriſto pręferantur etiã. In deo nos unos fieri oportet, qm̃ ipſe unus eſt. In homine, qui ſibi perpetuo contrarius eſt qui fieri poteſt ut unum ſia-

mus: Christus patrem obsecrauit ut in eo nos unum fiamus et homo nobis in se unitatē polliceri audebit: ī uno deo, in una fide, in uno baptismo unū haud dubie reddemur, hęc enim una sunt. In uno aliq̄ homine, in tot legibus sibi inuicem repugnantibus, in tam diuersis opinionibus, tam abest ut unum fiamus, ut non alia ratione in errorem ac dissensionem abduci q̄z ista possimus, quin uidemus unū eundēq̄z sępenumero hominem, inter ista secum dissentire. Hęc autem quę paulo ante recitauimus, & omnia alia quę ad unitatem nos cohortantur, unde nā clarius ac purius q̄z ex ipso fonte petentur: quem qui hauserit, aquam scaturiet in uitā eternam emicantem. Verū puteus altus est nec quo hauriamus habemus, nisi is qui hauriri amat, funes, urnā et machinam prodat, ac puteum more ciuilis Moseos fragilibus animis retegat, quo sitibundę oues potę ad cœlestia pabula reducantur, quę certe omnia non alio in angulo q̄z in Euangelio inueniunt. Fons autem quis est alius q̄z Christus ipse: q nos ultro ad se inuitat dicens: Si qs sitit, ueniat ad me et bibat, cupiens ut de plenetudine eius omnes accipiamus, nos qui rerū omnium sumus inopes, deest enim argentum, deest aurum quod illi placeat, at ille hortatur ut eum cum letitia gratis hausturi acceleremus. Quis unq̄z tā liberalis causpo inter mortales uisus est ut uinum suum differri diffūdiq̄z sine precio passus sit, preter unum Christum, qui sua gratis tam habundanter prodigit: porro si tantam gratiam suaspōte se offerentē non amplexi fuerimus, quę nos spes manet: quā tandem apologiam parabimus? aut quibus cruciatibus non dignos ipsi iudicabimus si familiarem fieri cupientem & domesticum a nobis propellamus? Nō ignoramus uitam nostram ab Euāgelij norma longe lateq̄z dissidere, sed nunqd ob eam rem explodendum & eliminandum: ac non potius assidue uersādum, ut ad eius exemplar deputata corrigamus ac teneriora cicuremus, cum unum sit, modo id credamus, cuius instinctu salus nobis euentura sit, iuxta Chri

sti mandatum, qui ubi Apostolos ad predicandum Euange
lium emisisset his uerbis, predicate Euangelium (nō uestra
dogmata uł placita uel leges quas forte fortuna casus aliqs
dictabit) omni creaturę, addidit, qui crediderit prędicato E-
uangelio scilicet & baptisatus fuerit, saluus erit, et contra q
nō crediderit condemnabitur. Hinc qñdoqdem ut prefati
sumus, deus, uelut olim per Prophetas suos alijs atq; alijs tē
poribus Israel admonere solitus est, nostra nos tēpestatē E-
uangelio suo illustrare dignatur, ut testamentum suum qd'
aboleri uon potest, instauraret, occasionem hanc duximus
minime negligendam esse, quin perpetuo conatu laborandū
potius, ut q̄ plurimi salutis huius & splendoris participes fi-
ant, ac dū interea rumor quidā ad nos difertur, quorundam
iniusticia animum tnum ita exasperatum ut edictū sis breui
pmulgaturus, qno caueas ut si Euāgelium aliqua parte sit
humanis traditionibus aduersaturū illic ab eo declinetur,
q̄d tametsi parum fidei apud nos mereatur, non nihil tamē
mouit, non ut territi desidiosius cunctemur, sed uices tuas
miserti si res haberet ut uulgo spargitur, q̄ hoc pestilens ho
mtnum genus quod omnia miscet ut rei sue consulat, ad te
q̄q; penetrare potuerit, sed dij melio ra. Nam nos tantam de
te spem concepimus ut non ambigamus, gratiam tibi factu
ros si in Euangelij negocio q̄q; fidelissime uersati fuerimus,
nulla enim ratione adduci possumus ut id quod unice tibi
ex officio incumbit, non enim misit te Christus uł aqua tin
gere uel unguine sacro imbuere sed euangelizare, abiectum
uelis & neglectum, q̄d felix sit ac faustum, Euāgelium irre-
misso tenore promulgare statuimus, atq; id tā oportune ut
iuste nemo se conqueri possit iniuria adfectum esse, quod si
infelicius successerit secundum humana iudicia, non est qd'
quisq̄ miretur, lapis enim offensionis est & petra scandali,
& signum cui contradicetur, cum eni aliqn̄ in propria ue-
niret, sui eum non receperunt. Quibus ex causis. P. T. fa-
uere decet fortibus, ceptis, quę ut rara fortasse sunt, ita mini-

me temeraria, ut ad hoc negociũ q̃d Christi est, nõ nostrum, non solum conniueas sed adspires ac opituleris, id q̃d erit ante omnia pręclarum et Episopo digunm, quin tuum erit non partem aliquã suscepti operis tibi sumere exantlandã, sed tanq̃ Moses uiam pręire ac obstantia uel retrudere uel demoliri, saltẽ quę possis, potes autẽ, ad hoc munus, adhortãdo uł stimuãldo, ac si id nimis esset fauẽdo, añuendo, scãdalàq̃ remouendo, inter precipua enĩ quę herbescenti Christo nocitura sunt scandalum est, quomodo enim per im̃ortalem deum fidem habebit simplex plebecula ei, quem, etiam dum Euangelium prędicat scortatorem & impudentem canem esse cogitat? anne perniciosius quicq̃ euenire potest negocio tam sancto? quapp̃r ad alteram petitionis nostrę partem oramus ut tam clementem te prębeas quã ipsi esse credimus. Non putamus latere. P. T. Reuerendissimam quã infęliciter hactenus, quanq̃ ęgre sit à uulgo sacerdotum seruata castitas, à maioribns usq̃ in hæc tempora pręcipi consueta, quam utinam ut facile mandarunt, ita uim quoq̃ prę stare potuissent qua facile seruaretnr, qd̃ tamen homini cõcessum noluit deus, quò donum diuinum et angelicum nõ homini ferretur acceptum, sed uni deo: Quod Christi uerbum Mathei. xix. plane indicat. Vbi postq̃ multa inter Pharisęos et ipsum iactata essent de coñubio, discipuliq̃ dixissent, Si ita res ut disputatũ erat haberet couducibilius esse non nubere. Respondit, non omnes esse castimonię capaces, sed eos modo quibus datum esset, donum dei esse uolens ostendere q̃d quibusdam ita daretur, ut aperte agnoscerent in ea re diuinam benignitatem, non suas uires aliquid potuisse. Id quod & ea quę paulopost sequntur manifestę declarat, cum, habita Eunuchorum distincta mẽtione, liberum cuiuis facit castitatem seruandi uel uon seruandi, dicit: Qui Potest capere capiat, nimiꝝ sentiẽs ꝙ quibus datum esset cœlitus, quod hij seruarent, nam alioquin ne

molaturus erat. Nos igitur heu fatis infeliciter (audacter enim uulnus retegendum est apud medicum) hactenus experti hoc donum nobis esse negatum, diu nobiscum deliberauimus quoniam pactę tā inauspicato cœptę castitati mederemur. Ac dum omnia circumspectamus non occurrit faustum aut fauorabile quicq̄, nisi dum id uerbum Christi paulo ante adductum diligentius cōmanducamus acrumi namus mundorum more animalium, tū enim ex eius odore, fastidium quoddā nostri primum obrepere cœpit, dum pigere incipimus, quod id quod Christus integrum reliquerat, per incogitantiam nobis pręceptum fecimus, quasi castimoniam custodire a nostris penderet uiribus, ibi mox coortus pudor ora perfudit hand secus atq; Adam dū dijs similis futurus nihil nisi nuditatem suam inuenit primum, deinde iratum deum, et paulopost malorum plaustra. Quem enim sui nō pœniteat cum imprudentie sue miserabilem exitum aspexerit? Quid enim per immortalem deum aliud est q̄ mera stoliditas nedū imprudētia, sibi uēdicare quod solius dei est? se posse putare, quo nihil minus possit? Post illud autē fastidium nostri, quo temeritatem nostram simul cum imbecillitate agnouimus, medelę quoq; spes, quanq̄ de lōgin quo sese aperit, dum enim et Christi uerbum et maior hac in re usum diligētiu expendimus, inuenimus rem totā opinione esse longe faciliorem. Ille enim cum dicat: Non ōnes capaces sunt huius uerbi, et iterum qui potest capere capiat nullam prescribit nō capientibus pœnam. Quin uel ob rei magnitudinem quam non cuiuis iniunctam uoluit, uel imbecillitatem nostrā quam etiānum ipse melius nouit quam nos ipsi, idq; fraudi esse noluit, liberum reliquit, qua et animi nostri desperationi alias proximi nō parum refecti sunt, cum pœnam īminere nullam non capientibus audiuimus ab eo qui potest et corpus et animam mittere in gehennam. Hi uero huc quoq; aciem anxie uertisse uidentur qum sine exceptione noluerint castitatē uel ipsi precipere, uel uoueri

ab alijs, sacerdotibus saltem, qui disertis uerbis infirmitati ut parerat pretexerent, in hūc modum: Qum Pedagogus pro omnibus respondere consuetus qui sacris initiarentur, rogatus esset: Sunt ne iusti, quos offers: Respondere solitus est, Iusti sunt, sunt nedocti: docti sunt, & cętera. Cū uero ad castitatē uentum esset, Sunt ne casti: reddidit, quatenus humana imbecillitas permittit. Quo cōsilio uidetur, nec; maiores nec; nostra tempestate patres uoluisse astrictum esse ac ligatum quod Christus liberum permisisset, ne suaue iugū domini oblinerent absynthio. His inc; in hunc modum expensis, nempe nec; diuino nec; humano iure nos teneri ad seruandam casttiatem, perpēso nihilominus eo quod tametsi castimonia libere erret, ipse tamen coitus minime debeat uagari ac promiscuus esse, sed lege fidec; constringi & ad frugalitatē compelli, haud secus ac reliqnus uictus qui ut liber est, ita ni parsimonia temperetur furor fit & confusio, ne in porcos degeneremus. Quod rerum omnium opificem tā inde ab exordio creationis uoluisse uidemus, qum Adā adiutricem fœminam unam tantum, non syluam aut uulgus fœminarum ex costa finxit, quam et paulopost tali fœdere iunxit, ut patrem citius et matrem uir relinquat c; uxorem, duo enim coituri sint in carnem unam. Iam si totum quoc; nouum testamētum perstringimus, non inuenimus uspiam solito cōcubitui quicq; fauere, matrimonio omnia, ex qua re nobis hoc et uerissimum esse ac pijssimū apparet, Quod Christiano nō sit tertium aliquod post castimoniam et matrimonium relictum, ita ut aut caste uiuat si detur cœlitus, aut uxorem ducat si uritur, id quod paulo post clarius ostendemus ex literis uere sacris Hinc tuam clementiam, prudentiam, ac eruditionem imploramus O inclyte Pręsul ut qñquidem huic nostro sæculo uides Christū benignius fauere, dū sese clarius aperit quàm aliquot retro seculis. Et ex tanto Episcoporū numero hactenus uix unus et alter candide uisus sit renascenti fauere Christianismo, ipse primus

hanc laudem auffere occupes, quod ante omnes Germaniæ Episcopos recte sentire de Christianismo cęperis, ac dū alij male simulatam castitatem, misero coepiscoporū uulgo nō desinunt obtrudere, ipse, qñquidem per Christum & per humanas leges ut ostensum est id licebit, his qui uruntur uxores ducere permittas, e quorum numerosa multitudine nos primi tua mansuetudine freti prodire ausi sumus ac obsecrare ut id nobis annuas, haud ut arbitramur temere, cum enim ex una parte premerent humanę cōstitutiones, nequiccq; cū fragili etiā carne pugnantes, lex enim irritat ad peccandum, non coercet, Ex altera fauens arrideret scriptura, nihil impium rati sumus, si eos, quibus nitimur, locos in medium adduxerimus, quo tibi manifestum fieret an eos dextre tractauerimus an secus, ac ubi ut speramus adparuerit scriptura probe usos esse, permittas id quod humiliter petimus. Est igitut primus omnium locus qui nos absoluit Mathei xix. quoq; fidimus tanq; sacra ancora, ex eo enim in hunc modum argumentamur. Si nobis Christus castitatem liberam esse permisit, ualeat homo qui pręcipere eam tentarit. Probatio sequentis hæc est: Si diuina uoce Petrus uetitus est cōmune dicere, qd deus purificauit, adserere nobis audacter licebit, quod non liceat cuiq; hominum adserere, non licere id quod deus licere permisit. Nam si in eo quod uilius est noluit deus iudicium Petri ferre, quanto minus in eo quod longe magis est operę prætium, alicuius Petro minoris iudicium laturus erit? De hoc loco satis in superioribus etiam liquet quid sentiamus, hoc addito, quod uerbum Christi hoc de quo diximus est, qui est uia, ueritas, & uita, qui alio etiā loco dicit, Verba quę locutus sum, spiritus & uita sūt, quomodo ergo eis fidere tuto non liceret? imo anathema citius esse credemus quicqd contra diuina quęsitum fuerit quàm pietatem. Spiritus e uita sunt quę ipse dixit, ergo quæ nos caro sunt et mors: Secundus est Pauli ad Corint. I. cap. VII Cōmoda res est ac oportuna si homo uxorē nō ducat, ppter

scotationes autẽ, quisq; suã ipsius uxorem habeat, et que-
uis, fœmina, proprium maritum habeat. Hic primum con-
syderauimus beatum fore istum cui diuinitus datum est ut
ab uxore possit abstinere, quam gloriam ut libenter his ce-
dimus qui caste uiuunt, ita nobis dolet id esse negatum, cui-
uis cum deo patienter feramus. Deinde quod propter scor-
tationes, quisq; debeat propriam uxorem habere, qui dixit,
quisq;, neminem excepit, non sacerdotem, non monachum
non uulgarem. Vnde apertum est quod sicuti superius atti
gimus, Christiano homini inter castitatem et matrimoniũ
nihil relictum est, sed aut caste uiuet aut uxorem ducet. Ter
cius locus est eodem capite. Quod si se non continent, nu-
bant. Melius est enim nubere quã uri. Ergo si non est conti
nens quis, si uritur, nubat. Arsimus proh pudor tantopere,
ut multa in decore gesserimus, quod tamen an nihil ad eos
pertineat qui nubere uetueruut, nunc mittimus dicere, hoc
satis hic dictum esse putantes, quod sola ustio (frequens tñ
illa et uehemens ut iam mẽtem occupare tentet) satis ingẽs
causa est nuptiarum. Quartus eodem in capite. De uirgini
bus preceptum domini nõ habeo, consilium autem do &c,
Preceptum domini de uirginitate se negat habere Paulus,
gentium doctor, instrumentum dei electum, quo cum Chri
stus non semel de cœlo familiariter locutus est, et homo im-
purus preceptum habet? Illic etiam Paulus cũ multa de uir
ginitatis precio cõmoditateq;, et multa de matrimonij curis
infelicitateq; disseruisset, addidit: Porro ad utilitatem ue-
stram hoc dico, no ut laqeum uobis injiciam. Volens quod
tametsi uirginitatem magnopere cõmendasset, non tamen
in ea esse sentẽtia ut precipi debere putet. Quintus est, I. Ti
moth. III. Indubitata ratio est, Quod si qs Episcopi munus
adpetit, honestum opus adpetit. Oportet igitur Episcopũ
irreprehensibilem esse, Vnius uxoris maritum et cetera, et
post pauca filijos tenentẽ uel seruantẽ in obediẽtia, cũ omni
honestate. Hic adnotauimus qtametsi magnę reputationis

sit Episcopum esse, iubet tamen Episcopum uxorem habere, sed unam tantū, an solam nunc nō disputabimus, adnotauimus etiam Episcopi nomen officij esse, non insolentis supercilij, unde nihil uerti sumus nos quoq; Episcopos, hoc est speculatores adpellare, quod reliqua omnia quibus hodie uulgo utuntur aut nimis ambitiosa uideantur, aut sint barbara nomia. speculatoris autem nomine, qui fieri potest ut quisq; efferatur? aut maiestatem putet esse nō functionē? cum speculatoris non sit ullus usus q̄ speculandi. Sextus, eiusdem Pauli ad Titum. i. cap. Ad hūc usum reliqui te Crete ut quę desunt adprobe disponas, ut constituas oppidatim seniores uel presbyteros quemadmodū tibi præcepi, nempe si quis sit inculpatus, unius uxoris maritus, filios habens fideles &c. Qui quidem locus superiori tam similis est q̄ lacti lac. Septimus item. I. ad Timoth. IIII. Ipse uero spiritus diserte dictat qd' in posterioribus temporibus recessuri sint quidā a fide, dum attendent spiritibus erroneis, et doctrinis dœmoniorū, quæ per simulationem falsa dictabunt, id qd' per eos fiet qui cauteriatam habent conscientiam, qui uetabunt nuptias &c. Hic aures optamus arrigant, qui castimoniam belle simulant male seruant, quę enim clam perpetrāt nefas est solum cogitare. Spiritus in Paulo loquens hęc dictat, quod posterioribus temporibus, in quæ nimirum nos quoq; incidimus, hęc euenient, Quod a fide sint quidam se auersuri ad opera sua, nō quę deus dictauerit: Deinde quod id fiet instinctu cacodœmonū, qui quędam dictabūt in speciem tantum bona, ea uero maxime cōmendabunt per hos qui in uestimentis ouium luporū ritu sęuiūt, ac ob eam rem semper adusti sunt apud se, proprioq; iudicio damnati. Vetabunt autem nuptias. En tibi. R. P. simulatę castitatis originem. Octauus ad Hebreos. xiii. Pręciosa cum primis res est cōnubiū et thorus incontaminatus, scortatores uero & adulteros damnabit deus. Hic locus nobis tam aperte fauere uidetur, ut putemus Episcoporū (modo speculatores sit)

esse, ut eos quos scortari deprehenderint ad cōnubium adigant, scortationi enim occurrendum est, quia secūdum hoc quod damnat, offendit etiā proximum. His adeo locis moti, persuasi tandem sumus longe cōducibilius esse si uxores ducamus, quò minus offēdantur pusilli Christi quam per, fricta fronte scortando grassemur, ad quod celsitudo tua nimirum adstipulabitur, dum alta mēte reputabit, quod eius flagitium, qui aliquem Christi pusillum offēderit, uix possit expiari, etiam si mola a collo suspēsa in pelagi profundū demergatur. Quid uero tandē est scandalum uel offensio, si sacerdotum inuerecunda scortatio non est scandalum uel offensio? Nec uelit hic celsitudo tua eos audire qui tale qdam ogganniunt. En tibi P. R. horum hominum religionem, quid agunt aliud quam ut libertatem Christianam tradant ad licentiam carnis iuxta Pauli ad Galath. V. & Petri I. cap. II. sententiam. Nam coitum qui in cōnubio fit, ut mittamus interim qualis apud deum existimetur, tametsi non inficiemur actum esse cum primis a carne prodeuntem, nō ignoramus tamen eum cū minimum nocere cum Paulus dicat: Et uirgo si nubit non peccat, I. Cor. VII. deo ad hoc nimirum propter infirmitatem nostram imó inhabitans peccatum, cōniuente. Eodem etiam Paulo non inter opera carnis numerante Galath. V. quānis hac responsione opus nō sit, cū manifeste adpareat quod si uoluptati hac in re uoluissemus indulgere, nunc̄ essemus passuri capistro uxoris implicari, ubi pręter molestias infinitas, facultas etiam, diuturni matrimonii fastidium cum alijs sartiēdi, amputatur. Sed huc spectauimus omnes, cum plericq; fungamur Episcoporum officio, ubi ante omnia temperandū est a scandalo, inculpatum enim ut supra patuit, oppꝛtet Episcopum esse, ut etiam ab offendēdo desistamus, dum alias (ut citra iactantiam libere loquamur) nū usq; adeo inciuilibus moribus simus, ut ullum ob flagitiū male audiamus apud gręgem nobis creditum, hoc uno excepto. Per igitur cōmunem Chri

CROZER THEOLOGICAL SEMINARY

ſtum, per libertatem eius ſanguine partam, per paternum af
fectū quem nobis debes, per miſeriam animularum noſtra
rum, per uulnera conſcientiarū, per quicqd eſt diuinum, qc
quid eſt humanum, te oramus ut ſupplices clementer reſpi
cias, ac quod temere ędificatum eſt cum conſilio demoliri fi
nas, ne quando moles iſta non ex patris cœleſtis ſentētia cō
ſtructa enim fragore longe pernicioſiore corruat. Vides qd
mūdus minetur, quāobrem paternitati tuę pſpectum opor
tet, nec importunum uideri, qd eam oratum adiuimus, niſi
enim conſilio rebus multis ſubueniatur, actum erit aliquan
do de uniuerſo ſacredotum ordine. Nęc amabo ad maiorū
paternitatis tuę ſenatuſconſulta releges, uides enim quantū
in hac re oſcitent, aut ad hoc cunctentur ut ſperent futurum
ut et ſi prius uirgis cęſi, ſimus tamen paulo poſt ſcorpiones
laturi, Indulgendum eſt imbecillitati, imò hac in re auden
dum nōnihil. Nam O beatam Landēbergiorū inuictā gen
tem, ſi tu primus Epiſcoporum omniū in Germania ſalu
briter mederi uulneratis aggreſſus eris, qui enī rerū ſcripto
res id facti unq̄ cęlabunt? qui non docti pręconijs uebent?
qui non olores uenienti mundo canent? quę cedri à uetuſta
te & interitu ōn defēdent? aperta certe eſt tibi ianua rē recte
gerendi, hoc unum caueris ne oblatam occaſionem e mani
bus male conſertis elabi ſinas; augiramur enim res nouam
faciem iuduituras nobis etiam ingratis, quod ubi factū erit
nequicq̄ indipiſcendę glorię occaſionem neglexiſſe quere
mur. Fauet noſtrę petitioni opifex iſte qui marem et fęminā
fecit primos homies, fauet uſus ueteris teſtamēti, nouo mul
to rigidioris, quo ſumi etiā ſacerdotes lento matrimonij iu
go colla ſubmittebant: Fauet Chriſtus dum caſtitatem libe
ram facit, qui iubet, dum non uult puſillos ſuos ſcandaliça
ri. Fauet ubiq̄ magno plauſu, imò ſpiritum dei habens pre
cipit Paulus. Fauet uniuerſus piorum & cordatoram nume
rus, quę omnia ſi neglexeris, neſcimus quàm amanter gen
tem tuam complectaris, cuius fortia facta, ſtemata, imagies,

CROZER
THEOLOGICAL
SEMINARY

hac gratia, modo nobis eam facias erunt inferiores. Quod si nulla ratione induci potes ut annuas, obsecramus ut saltē cōniueas, id quod alius q̄ nos consulat, nos enim tam fortē arbitramur, ut dum recte agas, non metuas eos qui corpus etiam occidere possunt: Et reuera opus erit ad minus conniuere, iam enim rumor est plęroscp cōiuges, dudū designasse, non modo apud Heluetios nostros, uerumetiam passim apud omnes, quod sopire profecto supra uires fuerit, nō modo tuas, sed longe potentioris, pace tua dixerimus. Proinde paruitatem nostrā ne nauci feceris, sępe etenim est holitor ualde oportuna locutus. Et quāuis pusilli simus, Christi tñ sumus, quos tantum abest ut contemnas. ut receptis, euenire tibi salutē firmiter credas. Quod ꝟo ad nos attinet laudes tuas canere, nunq̄ desistemus, modo te patrem ostendas cui uolentes et lubentes obsecundabimus, dona quiddam filijs pręsertim tam obtemperantibus ut te ante omnia consulāt, tam fidentibus ut in re q̄uis (ut est opinio) ardua ausint ad te unum recurrere. Deus optimus maximus excellentiam tuam diu incolumem et recte de se sentientem cōseruet, quā sūma humilitate cupimus exorari, ut omīa æqui bonicq̄ cōsulat. Ex Eremo. D. Virginis apud Heluetios,
M. D. XXII. secunda Iulij.

R. Paternitatis T. deditissimi.
Balthasar Trachselus. Georgius Caliȷbeus. Vernherus Steiner. Leo Iud. Erasmus Fabricius. Simon Stumpfus. Iodocus Kilchmeijer. Huldrijchus Pistoris. Caspar Megander. Ioannes Faber. Huldrijchus Zuinglius.